2. 3. 256

Digitized by Google

A

256

FULGOR FULGINII

In Splendoribus

SANCTORUM

SIVE

Quà Beatitate Cœlitum, quà Sanctimoniæ laude Illuſtrium Perſonarum Fulgineæ Civitatis

PROPALÁM EDIT

Sacra, quæ cogitavit Elogia cum ſuis notis

R. P. D. JULIUS AMBROSIUS

LUCENTIUS

Abbas Ordinis Ciſtercienſis, Sacræ Congregationis Indicis Conſultor, & pluriès in Sacroſancta Liberiana Baſilica extra ordinem Pœnitentiarius Apoſtolicus, necnon Apoſtolici Catechiſmi in Urbe Miniſter, &c.



ROMAE, Typis Bernabò Anno Domini MDCCIII.

SUPERIORUM LICENTIA.

Digitized by Google

SS.^MO PATRI, AC DD.

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO

JULIUS profeſſione Monachus, converſatione peccator, ſi quid poteſt ejus oratio, ex intimis precatur præcordiis.

NUlla magis lectio delectationem parit, quàm quæ procedit de Scripturis Sanctis, & recordatione eorum, quorum bonis operibus ad devotionem accendimur, & perfectionem provocamur. Hinc ego B. P. in labore, & ærumnis profeſſionis meæ ſingulare ſolatium inveni, ſive meditando eloquia Dei in Sacris li-

Digitized by Google

bris, eaque, licet puſillus, in alios profundendo, ſive Sacrorum Pontificum in Italiæ Sacræ diuturniori ſolertia reconcinnando opere; & quo in opere occupatus obſtupui; Fulginatium Sacra geſta revolvens: eam enim Civitatem in Umbris nedùm nominetenùs fulgentem, ſed certæ ſanctitudinis, & copioſæ pietatis luce mirifica præfulgentem devota mente contemplatus ſum. Quare non improbandum cenſui, Divino Sole rutilantem hunc fulgorem, peculiari (quantumvis imparis Scriptoris) oratione, mortalium obiicere oculis, ut inde in umbris mundi hujus lumen verum ſemitis Viatorum magis, magiſque ſemper effulgeat. Illud etiam de Sacris Fulginii accuratiùs ad ſcribendum me impulit; quòd varietate plurima cum diſtrahantur Scriptores de Sanctis his commemorantes, neceſſaria ſuſtentatione veritatis, opere pretium duxi, ad trutinatam ſententiam diſceptantium diſcrimina vocare.

His

Digitized by Google

His, aliiſque omnibus ſudatis meis ſtudiis Fortunatiſſimum Auſpicium faciunt Nomen, Faſtigium Dignitatis, Mens ſanctiſſima Beatitudinis Veſtræ. Quadrat ingentibus titulis his: Benè compoſita Veſtra Clementia, quæ vera tranquillitas noſtra eſt: Continetur ſtudium Supremi Faſtigii Veſtri tuendæ Religionis, augendæque Eccleſiaſticæ diſciplinæ in omnem Orbis partem; ſolicitat & Antipodas, haud obverſo Romano Dogmati dorſo, erecta ad Vaticani Polum cervice ſidereis Apoſtolicæ Cathedræ fulciri legibus; Et ea quam præfert B. V. probitatis ſpeciem, æquè Vicarium ſe eſſe enunciat Poteſtatis, & Sanctitatis ſupernæ. Hinc meritò Supremus olympi Dominus, & rerum Moderator Claves Cœlorum in terra vobis donavit; quas quò magis humiliter, eò meliori maturato conſilio accepiſtis, ita iuſtè, benignè, & ſapientèr eas verſando, ut Chriſtianæ in Reipublicæ adminiſtratione ſibi, ſuiſque reſeratum Cœleſte Regnum

facilè

Digitized by Google

facilè inveniat. Nec impavidum contorſit animum veſtrum, claſſico armorum pondere preſſum Orbem Cœlo coram pacifico Rege ſublevandum in humeris ſuſcepiſſe. Sed quo longiùs exulat pax, eo propiùs exultat Spiritus veſter apud Deum, donec uſque inter tot ſtrepitantia tonitrua, & bellorum fulgura exaudiri ſuam, & ſibi ſponſatæ Eccleſiæ, Sanctiſſimis interpoſitis precibus, perſentiat Altiſſimus vocem, quam & in corda Principum ſacerrima Chriſti Regum Regis ab Arce ſolicitudo veſtra immiſit, Apoſtolicis expeditis viris, qui æquiſſimis legibus illabentem divinitùs pacem ſuaderent, proponerent, & benigniores indè influxus, tanquam arridentiores aſpectus exciperent.

Hanc dum ſuſtinet V.B. immenſo molimine molem, ſupponitque manum ad reſtauramenta Caſuris; Fato factum eſt ejus, qui & immobilia mutat, quòd varia per Italiæ, aliarumque Regionum loca multiplici vice inter diſcordes Regnorum

fremi-

fremitus Tremenda Majeſtas Dominatoris Terræ, & Undæ, Terras, Undaſque commovit horribili impetu, & navium multitudinem abſorbuit, & ſaxorum in Tumulum Civitates poſuit, & habitantium loca proſciſſis rupibus, & montibus, caverniſque apertis in ruinam diſperſit. Quid eſt hinc conſiſtere in ævum Regna poſſe arundineis tantum librata fulcris poteſtatis humanæ? Et ò mirum! Senecæ illud repetere fas ſit B. P. de Terræ motibus eloquentis naturalium quæſtionum libro 1. *in præf.* Hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igne dividitur. *Aſt, quod omnem mentis ſuperat captum, terram tanto circulãte horrore, Urbs maxima ſemel, iterùm, tertioque tandem viſa eſt commoveri, ut ex eo horrifico tremore funditùs evertenda formidaverit. Imminens ferale ſpectaculum ſpectandum non ſiccis oculis, & trepidante animo precibus, & gemitibus apud iratum Deum interpoſitis, avertere non dubitavit V. B.*

factus

Digitized by Google

factus reconciliatio in tempore iracundiæ. Veſtro exemplo corda ſursùm erigi, & viſcoſo è terræ ſinu pollutos quoſque in ſublime Cœlorum ferri, ubi firmiſſima Statio eſt, quiſque agnovit. Hinc Populum æqua lance, & ad Dei placitum moderandum, Paſtoralis veſter Zelus mentem convertit. Debellavit, quam deterruerat Deus, laxiorum improbitatem. Luxum illum, qui modeſtiam omnem, baſim veram, & fundamentum virtutum, fugaverat, ſuſtulit, & ab inquinamentis mundatos omnes, ſpiritus ut perficiatur in timore, veroque amore Dei, ad Cathechesim compellit, ad ſacram inſtitutionem, videlicet illam de Deo, Diviniſque mandatis, & myſteriis, quę per aures efficaciùs ab idoneis Magiſtris immittitur, quàm quæ tantùm intuentiũ oculis ſubjecta leguntur. Quinimmo, ut diſcant cæteri animarum Rectores, & qui Optimates ſunt in Eccleſiæ regimine, noſſe, id optimum eſſe; paſcere populum, de ipſo Sapientiæ fonte, ſublimi videlicet

veſtra

veſtra Cathedra, eructare verbum bonum, inque corda noſtra reſupinare divinorum Chariſmatum prælucidam Urnam; ut frequentiùs peregit, & in medio Eccleſiæ ſacris perficiundis intentus Liturgiis, anni Orbiculantibus ſolemnioribus Feſtis, & in ſecreto-Purpuratorum congreſſu, Magnorum Pontificum, fando, & faciendo, virtutum ęmulus. Reliquum eſt B. P. quod ſicut illi inter adverſa Mundi, veluti in medio lapidum ignitorum ambulantes, evolarunt tandem in ſimilitudinem fulguris coruſcantis cum pręlectis fidei eorum commiſſis, ad Aram Cœleſtem, nullo ne defatigetur mœrore animus Veſter, terrarum dum conſpicit perturbatam quietem: novit Deus, quem ſibi velit inde ad ſui nominis, & Apoſtolicę Cathedrę gloriam machinari triumphum. Certus quiſque ex Epiphonemate Apoſtoli 2. Cor. c. 7. Quòd: Qui contriſtatur ſecundùm Deum, nullum detrimentum patitur. Et triſtitia, quę ſecundùm Deum eſt, Salutem operatur, & in

Digitized by Google

indeficiens convertitur gaudium. Et uberrimum quippe obveniet Vobis cum eo majori glorię proventu, quò magis ipſam gloriam abnuit, in Domino tantùm gloriari contentus: Et mea hęc eſt: De Sanctis ſcribens ſanctiora veſtri pectoris adyta penetrare, & fiducialiter agens audeo introrsùm Arcam illam recondere tributulum hoc meum, ubi cum rigore Legis dulcedo Mannę aſſervatur: meque ſimul ſi veſtri Luminis, & ardoris protenſę obumbraverint Alę, Cœleſtes Charites mihi arridere non dubitavero. Faxit Deus, quod celſiſſimo procumbenti Throno poſtulata concedat MAXIMUS. OPTIMUS. CLEMENTISSIMUS PARENS CLEMENS UNDECIMUS.

NOS

Digitized by Google

NOS D. LAURENTIUS CITERNI
D. G. ABBAS

Monaſterii S. Mariæ Magdalenæ Ciſtelli de Florentia, necnon Congregationis S. Bernardi in Italia Sac. Ordinis Ciſtertienſis Præſes Generalis, una cum cæteris Regiminis Prov. Tuſciæ Coabbatibus.

CUM Opus cujus Titulus eſt: *Fulgor Fulginii in Splendoribus Sanctorum* à R. P. D. Julio Ambroſio Lucenti Abb. Ciſtercien., ac ſac. Indicis Congreg. Conſult. compoſitum, atque elaboratum RR. PP. Procuratores Generales Ord. Prov. Tuſciæ, & Lumbardiæ in Rom. Curia S. Theol. MM. de mandato noſtro attentè perlegerint, & examinaverint, dignumque Typis mandandum repeterint: harum noſtrarum vigore, noſtrique Authoritate Officii, ſervatis de Jure ſervandis, Facultatem, quantùm in nobis eſt, concedimus præfato R. Abb. Lucenti poſſe opus prædictum ſubiicere Prælo. In quorum Fidem &c. Dat. Florentiæ in Monaſterio Ciſtelli die 22. Menſis Septembris, Anno 1702. Ità eſt in Actis.

D. Laurentius Citerni Abbas, & Præſes Gen.

D. Marcus Cecchi Viſit. Sec. & Regim. Cancell.

OPus cui Titulus *Fulgor Fulginii in Splendoribus Sanctorum* à Rmo P. Abbate D. Julio Ambroſio Lucenti Ordinis Ciſtercienſis compoſitum ex commiſſione Reverendiſſimi Patris Præſidis Generalis Congregationis Ciſtercien. S. Bernardi in Italia recognovi, illudque tùm fidei, tùm probis moribus conſonum adjudicavi, & prælo demandari poſſe obtenta licentia ab iis ad quos ſpectat. In quorum fidem præſentes litteras manu propria exaravi, & ſubſcripſi hac die 21. Martii 1702.

D. Philippus Maraviglia Abbas S. Crucis in Hieruſalem &c.

LIbrum, cui Titulus *Fulgor Fulginii*, à Rmo P.D. Julio Ambroſio Lucenti Abbate Ciſtercienſi, ac Sac. Indicis Congregationis Conſultore compoſitum, Ego infraſcriptus, de mandato Reverendiſſimorum Patrum Regiminis Provinciæ Tuſciæ Ordinis Ciſtercienſis, attentè perlegi; Nec quicquam in eo Catholicæ Fidei, aut bonis moribus repugnare inveni. Quare &c. In quorum fidem &c. Die 22. Aprilis 1702.

D. Bernardus Barberi Abbas Monaſterii Trium Fontium de Urbe &c.

Appro-

Approbatio Operis.

JUſſu Reverendiſs. P. F. Paulini Bernardinii Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtri, Opus cui Titulus: *Fulgor Fulginii in Splendoribus Sanctorum &c. Authore Reverendiſs. P. D. Julio Ambroſio Lucentio Abbate Ciſtercienſi Sac. Congregationis Indicis Conſultore*, ſingulari attentione ſimul, & oblectatione perlegi; in quo nihil prorſus offendi, quod Catholicæ Fidei, boniſque moribus conſentaneum non ſit. Quin imo Author ſummo ſtudio, eruditione, ac diligentia clarus, præclaræ Civitatis Fulginei nobilitatem, ſplendorem, ac pietatem optimè oſtendit ex ejus Viris, nec non Fœminis tùm ſanctitate, tùm veneratione, etiam ab antiquo tempore conſpicuis. Quod utique nedùm ad ſplendorem prædictæ Civitatis, ſed etiam ad omnium animos excitandos, ad ſectanda ſcilicet eorum, earumque veſtigia, apprimè deſervire poterit. Unde jure merito opus digniſſimum, quod ad publicam utilitatem in lucem prodeat, exiſtimo. Ex ſacra Pœnitentiaria S. Mariæ Majoris die 29. Januarii 1703.

Fr. Seraphinus Bertolinius S. T. M., & Pœnitentiarius S. Mariæ Majoris.

Impri-

Imprimatur

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

D. de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.

Imprimatur

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sac. Apoſtol. Pal. Magiſter.

Veræ

Digitized by Google

Verę, Avitęque Religionis

CLARISSIMIS VIRIS

CLERO, ET POPULO

FULGINEÆ CIVITATIS

Salutem, & in CHRISTO JESU veri luminis Claritatem Precatur

D. JULIUS LUCENTI humilis Abbas Ciſtercienſis ex Ordine S. Benedicti &c.

SACRIS Eccleſiæ facibus, quæ ſplendorem dedere Italiæ, aliquid addere in meo poſt Reverēdiſſimum Magiſtrum meum Ughellum opere, cum attentiùs ſtuderem, Fulgore perfuſus veſtræ inclytæ Patriæ, religioſa me Virtus compulit ad præclariora progredi plurium, è veſtro gremio, qui prodiere ad Beatas cœlitum ſedes illuſtrandas. Quare, & quod mihi commune eſt, aliarum Civitatum celebrare nobiliora facinora, veſtrum ſive Civium, ſive quorum Virtus apud vos eximiè comprobata eluxit, ad prodendam cum laude poſteris memoriam, non minus jucundè, quàm de cæteris concupiviſſe peculiare fuit. Et hæc

animum

Digitized by Google

animum meum invaſit cupido: ea quæ mirabilia in Vobis operatus eſt Deus, ad ſolius Dei Gloriam in aperto commendare; ut Luceat Lux veſtra coram hominibus, & videant opera veſtra bona valde, & quippe ad invidiam, non eam, quæ obtrectationis eſt, ſed ad omnem virtutem via, qua inſpecta, cæteri æmulentur chariſmata meliora, & virtus in vobis laudata magis ſemper euceſcat. Fulgineam gentem ita literarum, & armorum ſtudiis cultiſſimam, atque ingeniorum induſtria ad proficua quæque natam dignoſcant alii: Meum hìc eſt, erga Divinam rem Fulginatium pietatem, Mores ſuaviſſimos, & mira erga omnes charitatis officia commemorare. Multiplici doctrina, atque in ſcribendo felicitate à meo Ughello pluriès commendatus Patritius veſter Ludovicus Jacobillus cum literarium edidit opus de Sanctis, atque Beatis Umbriæ, quos ad cœlitum Gloriam evexit Fulginium, conſpiciendos inter cæteros immixtos Umbros propoſuit triplici volumine populari lingua proloquente. Meus jam nunc calamus ad eorum ſingulariter Elogia acumen invertit, quorum aſpectu ex ipſo Fulginii nomine meus lucidiùs oblectetur, & Latiali ſermone, parvo quamvis libello, latiùs, & ubique Gentium, ubi Roma-

næ Re-

Digitized by Google

næ Religionis reboat vox, in Lucem ſpatietur. Satis mihi, & plus ſatis erit, elaboraſſe pro veſtris Divis, quos & meos Advocatos, & Patronos eſſe exopto. Et utinam Scriptor Ego Fulginas Veſter in illorum ſortem vocer; hanc mihi certè polliceor, ſi una mecum hoc munuſculum meum, quod imo ex corde vobis offero, ad Aras Sanctorum Veſtri cœtus offerre non dedignemini. Et ea eſt quædam, quæ Voti movet me, religio, Lucere in conſpectu Domini Luce Sanctorum, quos celebro, Fulgentiſſimæ Veſtræ Civitatis, quam Deus una cum quolibet Veſtrum in longævos conſervet annos, & omnium ſimul cœleſtium, atque terreſtrium benedictionum pleniſſima cumulet, exornetque manu. Data Romæ è Monaſterio SS. Viti, & Modeſti die Mirabilis Converſionis Doctoris Gentium ſalutari Anno 1703.

Digitized by Google



Digitized by Google

2. 3. 156

X.

INDEX ELOGIORUM

Temporum ſervato ordine.

AD VIRGINEM MARIAM DEI MATREM, *cui attitulatum fuit primum Cathedrale Templum Fulginatenſis Eccleſiæ.* *pag.* 1

ELOGIUM I.

In nunquam Occiduum inter Umbros Apoſtoli PAULI Doctoris Gentium fulgorem. 5

ELOGIUM II.

Ad Urbem Fulginiam Umbrorum clariſſimam. 15

ELOGIUM III.

S. CRYSPOLITUS Epiſcopus, & Martyr Fulginas. 27

ELOGIUM IV.

S. BRITIUS Epiſcopus Fulginas. 31

ELOGIUM V.

S. LEVIANUS Fulginas Confeſſor, S. Conſtantii Peruſini Epiſcopi, & Martyris Fulginatis, ſac. Corporis reconditor. 37

ELOGIUM VI.

S. JOANNES ANACHORETA, & Martyr Fulginas. 42

ELOGIUM VII.

S. FELICIANUS Epiſcopus Fulginas, & Martyr. 48

ELOGIUM VIII.

SS. Martyres Fulginates HERACLIUS, JUSTUS, MAURUS. 54

ELOGIUM IX.

S. MESSALINA Virgo, & Martyr Fulginas. 57

ELOGIUM X.

Digitized by Google

SS. CARPOPHORUS , & ABUNDIUS Martyres Fulginates . 59

ELOGIUM XI.

Sancti è Laodicea Soriæ VINCENTIUS EPISCOPUS , & FLORENTIUS Monachus , Fulginates . 63

ELOGIUM XII.

S. DOMINICUS de Fulginio Mirabilis Abbas Soranus Ordinis S. Benedicti . 67

ELOGIUM XIII.

Titulo S. Crucis SAXOVIVUM celebre Sanctorum Domicilium . 73

ELOGIUM XIV.

Spectabilis Dei Famulus MAYNARDUS Saxovivenſis Archiſterii primus Archimandrita . 79

ELOGIUM XV.

B. ALBERTUS Fulginas Saxovivenſis Abbas 85

ELOGIUM XVI.

S. BONFILIUS ex Ordine S. Benedicti Abbas , & Epiſcopus Fulginas . 88

ELOGIUM XVII.

S. RAYNALDUS , & BB. PHILIPPUS , & JOANNES Patritii Fulginates de Trinciis , & Epiſcopi Nuceriæ. 93

ELOGIUM XVIII.

Beati ex Ordine Minorum Fulginatenſes Viri THOMAS Martyr , Confeſſoreſque ERMANUS , LEONARDUS , MARTINUS, MATTHÆUS . 107

ELOGIUM XIX.

Novi ſideris indicio Tribus Puellis innoteſcit Fulgineum ad Cœlum iter . 113

ELOGIUM XX.

B. JULIANA Fulginas Ordinis Servorum B. M. V. 116

ELOGIUM XXI.

B. AN-

B. ANGELA Vidua , & PASQUALINA Virgo Tertiariæ Ordinis S.Franciſci Fulginates . 118

ELOGIUM XXII.

B. ALANUS Ordinis S. Benedicti Abbas, & Saxovivenſis Monachus . 123

ELOGIUM XXIII.

Mirabilis Dei Famulus JOANNES DE ELISEIS Fulginas, dictus de Alvernia Ord. Min. 127

ELOGIUM XXIV.

S. PETRUS Confeſſor Fulginas , & Fulginatium Divus Tutelaris , Petrus lacrymoſus nuncupatus, & Almificus. 135

ELOGIUM XXV.

Clariſſima Sanctimonialis ANNA Virgo Fulginas Ordinis Prædicatorum . 139

ELOGIUM XXVI.

BB. PHILIPPUS , & JACOBUS Fulginates Ordin. Minor. pro fide Catholica apud Bevaniam Martyres . 141

ELOGIUM XXVII.

Ex Divino inſtinctu Betlehemiticum Fulginii Monaſterium Ord. Ciſtercienſis erigitur . 144

ELOGIUM XXVIII.

B. PAULUS Trincius Urſinus Romano-Fulginas Ord. Min. Reformationis S. Franciſci de Obſervantia , vulgò Fratrum Calepodiatorum , Author . 146

ELOGIUM XXIX.

B. HIERONYMUS De Aptis Fulginas Ordinis Prædicatorum . 153

ELOGIUM XXX.

B. ANTONIUS Ordinis Minorum apud Fulginates Tertiarius Laicus . 156

ELOGIUM XXXI.

B. PLACIDUS Fulginas Ordinis Ambroſiani . 159

ELOGIUM XXXII.

Quinque

Digitized by Google

Quinque Sanctimoniales Angeli monitu Fulginium veniunt, & S. Luciæ recluſorium excitant. 161

ELOGIUM XXXIII.

B. ANGELINA in Connubio Virgo, & apud Fulginates Sanctimonialium Ord. Min. Mater præcipua. 165

ELOGIUM XXXIV.

B. MARGARITA Virgo Fulginas, & Abbatiſſa ex Ord. Min. 168

ELOGIUM XXXV.

B. PAULA Virgo Fulginas Ord. Minorum. 170

ELOGIUM XXXVI.

B. SCHOLASTICA Virgo Fulginas, & Abbatiſſa Ordinis Franciſcani. 174

ELOGIUM XXXVII.

B. ANGELINA a Spoleto Virgo, & Minialis S. Luciæ Fulginii. 176

ELOGIUM XXXVIII.

B. COECILIA Sanctimonialis Virgo Fulginas Ordinis Minorum. 178

ELOGIUM XXXIX.

Venerabilis Soror LUCIA Virgo Fulginas Monialis, & Abbatiſſa Ord. Minorum. 182

ELOGIUM XL.

B. FRANCISCVS a Brixia Confeſſor Ord. Minorum apud Fulginium. 184

ELOGIUM XLI.

Dignus Dei Famulus AVGVSTINVS Fulginas Ordinis Minorum. 186

ELOGIUM XLII.

Chriſtianæ Virtutis fœcunda Virgo MARTHA Fulginas Abbatiſſa Ordinis S. Benedicti. 189

ELOGIUM XLIII.

Inſti-

Digitized by Google

Inſtitutio Oratorii BONI JESV *Congregationis S. Philippi Nerii.* 191

ELOGIUM XLIV.

Rev. Dei Servus Pater JO. BAPTISTA JACOBILLVS *Fulginas, Sacerdos Congregat. Oratorii S.Philippi Nerii.* 197

ELOGIUM XLV.

Digna Dei Ancilla Soror PAVLA A S. VRSVLA *Virgo Fulginas.* 200

ELOGIUM XLVI.

Fulginio plauditur eximia erga Deum, & Cœlites pietate fulgentiſſimo. 203

ELOGIUM XLVII.

Ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum DD. Julium Troilum Fulginatium Epiſcopum. 206

ELOGIUM XLVIII.

PRO-

Digitized by Google

PROTESTATIO AUTHORIS.

CVM Sanctiſs. D.N. Vrbanus Papa VIII. die 13. *Martii anno* 1625. *in Sac. Congregatione S. Romanæ, & Vniverſalis Inquiſitionis decretum ediderit, idemque confirmaverit die* 5. *Julii anni* 1634. *quo inhibuit, imprimi libros hominum, qui ſanctitate, ſeu martyrii fama celebres è vita migrarunt, geſta miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus ſive ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſs. die* 5. *Junii anni* 1631. *ita explicaverit; ut nimirùm non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea, quæ cadunt ſuper mores, & opinionem cum proteſtatione in principio; quòd iis nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides ſit tantùm penes Auctorem. Huic decreto, ejusque confirmationi, & declarationi obſervantia, & reverentia, quæ par eſt, inſiſtendo, profiteor, me haud alio ſenſu quidquid in hoc libro refero accipere, aut accipi ab ullo velle, quam quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem Divina Catholicæ S. Romane Eccleſiæ, aut S. Sedis Apoſtolicæ nitantur: iis tantummodò exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.*

Ita ſentio profiteor, & proteſtor D. Julius A. Lucentius Romanus Abbas Ciſterc. &c.

AD

A D
VIRGINEM MARIAM
DEI MATREM,

Cui attitulatum fuit primum Cathedrale Templum Fulginatenſis Eccleſiæ.

ELOGIUM I.

MARIA
DEI-HOMINIS MATER ET VIRGO
Quod eſt
MIRABILITER MIRABILE
Tu ſola excelſior Olympi Solo
Solem conditorem Solis
Obumbrata Virtute Altiſſimi
Tuo tegiſti ſinu
Ne propalàm fieret Fulminator cœleſtis

Digitized by Google

Donec proceſſurus ſpectaculum faceret
Humanitate manſuetudine
Induta Divinitas.
Magnum ſignum Viſum in Cœlo
Mulier amicta Sole.
Quid ſi Sol
Muliere amictus perhibetur in terra?
Tu fons lucis
Quæ procedit à Patre luminum
Aſtris ſanctitatis irrigans univerſam terram.
Electa ut Sol
Matutina irradiatione ſolem præveniens
Soli ſuppares lucis radios
Copiosè in Orbem diffundis
Lucis inacceſſibilis thalamus
In te manet in quo manes
Dum in tua ſe clauſit viſcera quē nō capit Orbis.
O mira Viciſſitudo!
Veſtiris MARIA *ab eo quem Veſtis in mundo*
Mundiſſima tuæ carnis ſubſtantia
Filii reverberata ſplendore
In veſtimento Divinitatis.
O quam bellè
In te conſociata ſunt cœleſtia terrenis!
Da Virgo, & Mater
Eccleſiæ prælectæ Sponſæ

Præ-

Digitized by Google

Prædilectum in ſinu Patris
Specioſum forma præ filiis hominum
Sponſum JESUM *filium tuum.*
Exultanter tibi occurrit
FULGINEA PLEBS
Et ex te & per te
Fulgore Divinæ Majeſtatis ut impleatur
Vix excuſſa idololatricæ cæcitate
Filium Dei in te Incarnatum
Fideli mente confeſſa
Te Matrem imploravit
Adoptione filiali
Poſito primario Templo in tui nominis honorem.
Deprecantem igitur
Innocciduis tuis radiis illuſtrare
Ne dedigneris
Ut hoc tuo lumine refulgens
In tenebris, & in umbra mortis
Videat lumen
Et ex te, & per te
Fulgore vitæ Beatæ
Lætificetur in Cœlis.

Et hoc fiat omni mundo,
ſed
ſpecialiter fiat mihi maximo peccatori indigniſſimo
famulo tuo Julio Lucenti Sacerdoti Ciſtercienſi,
qui tibi hoc Opus, ex corde D. D. D.

Digitized by Google

Notæ.

COLUISSE Chriſtianos non ſolùm mente, & intimo cordis, ſed palàm etiam, eo ipſo tempore, quo fides enunciata ab iiſdem profitebatur, Dei Jeſu Virginem Matrem, exploratiſſimùm eſt ex quamplurimis teſtimoniis ab Eminentiſſimo Annalium Eccleſiæ ſcriptore Cardinali Baronio pluribus in locis, & præcipuè tomo 1. ad annum Chriſti Domini 57. n.100. Recrudeſcente quamvis in Chriſti Confeſſores perſecutione ſæviſſima adhuc Eccleſiæ, & tituli erigebantur in Dei, & Sanctorum, qui pro fide offundebant ſanguinem, honorem. Cultus iſte in fidei primordiis in cryptis, & privatis domibus fidelium, ubi ad ſynaxim conveniebant, & nondùm pace quantumvis exoriente, impenſis, & ornatu illuſtres plures in Chriſtianorum locis viſæ ſunt conſtrui Eccleſiæ. Et ipſis Apoſtolorum temporibus, Chriſtiani, licet perſecutionibus agitati, ipſis Apoſtolis Petro præcipuè, & Paulo titulos erexerunt; ſed & præſtantiores Eccleſiarum dedicationes, & fundationes Templorum titulo Genetricis Dei, & Salvatoris Jeſu Chriſti Virginis Mariæ decorabantur. Et hoc fuit peculiare inſtitutum S. Cryſpoliti primi Fulginatenſium Epiſcopi, qui in Umbriæ Provinciam ab Apoſtolorum Principe Petro miſſus, & à S. Britio ex Petri delegatione ordinatus Fulginii Epiſcopus, cum Evangelii lucem ſibi commiſſæ plebi aperuiſſet, Templum Mariæ Deiparæ illud dedicavit, & pro Cathedrali in ejuſdem honorem haberi voluit, quod deinde, alio ſubrogato majoris ſtructuræ, in minorem Collegiatam tranſiit, quæ S. Mariæ nuncupatur ad Portas, ſeu foris Portam, cum extet extra murorum ambitum. Sed, & erga ſuum in fide Magiſtrum Apoſtolum Petrum obſequentiſſimus Cryſpoltus, ut intellexit

cum

Digitized by Google

eum jam Romæ celebri coronatum martyrio, & ipſi ſacram ædem erexit, quæ deinde injuria temporum collapſa, conterminam S. Caroli Eccleſiam accepit.

Suam igitur tanquam Chriſtianæ fidei initiatricem, & fulgoris ſui verum lumen veneratur Fulginium MARIAM, totumque ſe ejus ſidereis pedibus advoluit, & precatur, ut perennem in ſuo ſinu faciat manſionem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata contra mundi nequitias, & demoniacas omnes inſidias.

In nunquam Occiduum inter Umbros

APOSTOLI PAULI

Doctoris Gentium fulgorem.

ELOGIUM II.

Divini Opificis Ingenio
Sidereis cœlatum notis
PAULI
Inſcribito Nomen in Umbris.
Ac veluti atro in Marmore
Aurea Luce inſculptum legito
PAULUS
Orbis Domitor Pater Urbium
Eccleſiarum Princeps
Adverſus Principes, & tenebroſas Mundi Poteſtates.
Decer-

Digitized by Google

Decertans
Indomitam Sathanæ frænavit licentiam
Sic Orbem domuit.
Spiritu afflante ſuperno
Perditam Vitam fecit redire bonis
Sic dicito Patrem.
Sacris dum ſubegit à ſe genitis Ducibus
Confitere Eccleſiarum Principem.
Vas Electionis
Opobalſamum Effundens
Quo
Ab immani Inferorum Hydra
Sauciatas animas æternæ ſaluti reſtituit.
Prædicator Veritatis
Tenebrionum fraude
Dolis & mendaciis univerſum Orbem aſperſum
Claritate Divini Verbi expurgavit.
Doctor Gentium mirificus
Æternæ Vitæ Monimentis
Errantes in invio Viam ſalutis docet.
Mundi Magiſter.
Quæ
Nec Platonicus nec Peripateticus
Philophari ſcivit
Divinitatis enodavit theoremata.
Quare

Maje-

Digitized by Google

Majeſtatis Divinæ de Deo Trino-Uno & Homine-Deo
Buccinator Egregius
Idololatriam ejurare mortales compulit
Quibus ſuffeciſſet unius Altiſſimi
In Chriſto JESU *Auctoritas.*
Veruntamen in omnibus
Ipſe PAULUS *nec Modicus nec Paulus*
In eo quippè Maximus
Poſt Petrum
Unus cum cœteris
Mirabiliter in poteſtate æqualis
Quòd inter omnes puſillum ſe dixit
Apoſtolorum noviſſimum abortivum, & minimũ
Tantæ celſitudinis firmiſſima locavit fundamẽta
In ipſis etiam cum Petro
Romanis Arcibus
Unde
Primas habet coronam juſtitiæ, & Solium gloriæ
Ut fulgur fulmen ut vibret in pervicaces
In noviſſimo die Judex proceſſurus cum Chriſto.
Gaude, & Lætare UMBRIA
Valida hac Fidei fundata columna
UMBRIUM *fidei* PAULUM *dum habes* APOSTOLUM
Intemerata manens nullis concuſſa procellis
Nec caliginis Ullis obnubilata Umbris

Notæ.

Digitized by Google

Notæ.

PAULUS initiatus Apoſtolus, Spiritus Sancti Unctione magiſtra, excellentior omnibus aliis Apoſtolis in doctrina, quibus æqualis erat in poteſtate, non aliquam determinatam Provinciam, ut cæteri, accepit ad prædicandum, ſed univerſum Mundum; dictus ideo Doctor Gentium, prædicans etiam in ſortibus aliorum Apoſtolorum, tùm quæ ad Catholicam fidem, tùm quæ ad bonos mores ſpectant, & Eccleſias inſtituens pro cuſtodiendis ad Jeſum converſis, Collega factus Ducis ſui, cæterorumque Apoſtolorum Principis Petri in Apoſtolatu Romano, quem ut præcipuum ſequebatur, & obſequebatur. Per Umbriam enunciaſſe Verbum Dei, conſtans eſt traditio, & Fulgeneis Lucem Evangelicam aperuiſſe. Eſt, & Pagus Fulginium propè, ubi commoratus fuiſſe dicitur, & hoſpiti ſuo, ejuſque familiæ in poſterùm gratiam ſanitatis conferendæ indulſiſſe ſub certa quadam precatione pro torminibus iſchiadis; ut recitat noſter Ughellus to. 1. Ital. Sac. col. 730.

Verùm, quæ ad Tanti Herois promeritas laudes humili noſtro Elogio concinnavimus, cum nobis campum aperiant contra eos, qui malitioſa nimis, & inverſa interpretatione ex iis undè effertur ſuis præconiis fama, laus, & gloria Pauli, ejus Apoſtolatum confundunt cum Petri ſuprema à Chriſto Domino Vicaria ſingulariter in omnes accepta poteſtate. Et hi quidem Catholicæ Eccleſiæ hoſtes Vaferrimi obiicientes ſibi in os ſemper mendacia ſua, modò Divinum Gregem omni deſtitutum viſibili capite prædicant; modò (& quid monſtruoſius?) duplici confingunt capite conſarcinatum, aſſerentes æqualis poteſtatis Paulum cum Petro eſſe in uno, eodemque mero, abſolutoque Imperio Univerſalis Eccleſiæ regiminis.

Et jam nunc intuendum, an ex eo quòd aſſeratur Paulus

lus æqualis in poteſtate cum cęteris Apoſtolis, poſſit ne inde confundi Primatus Petri cum Apoſtolica poteſtate Pauli? qua aſſertione ſive ſolidior nulla, ſive confirmatior inter Sanctos Patres, & Doctores Catholicos de Apoſtolatus quidditate prodire unquam potuit. Ea enim eſt, quæ à Chriſto Domino immediatè proceſſit: ſive ſi Apoſtolos ſpectes in Epiſcopali dignitate, ſive mediteris in Apoſtolico munere, quoad utramque prærogativam omnes pares fuerunt conſtituti Epiſcopi, Doctores, & Paſtores animarum; itaut poſſent ubique in toto Orbe terrarum Apoſtolica, & Eccleſiaſtica munia ritè obire ex illo, Matth. cap.28. *Euntes docete omnes Gentes &c.* & Marci 16. *Euntes in univerſum Mundum prædicate Evangelium omni Creaturæ &c.* & Joannis 20. *Sicut miſit me Pater, ego mitto vos &c. inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritiſ peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta ſunt &c.* Et adeo pares fuerunt in hac prærogativa omnes Apoſtoli, ut nec Petrus potuiſſet hanc juriſdictionem eis reſtringere, quam à Chriſto Domino ad fundandam Eccleſiam independenter à Petro acceperant, & de hac paritate, & æqualitate plurimi elocuti ſunt SS.Patres, quos inter S.Carthaginenſis, & totius Africæ primas Cyprianus in hæc verba erumpit: *Hoc erant utique cæteri Apoſtoli, quod, & Petrus pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis &c.* lib. de Unit. Eccleſiæ. Et ipſa Sancta Dei Eccleſia in ſuis liturgiis indiſcriminatim Apoſtolos Divini operis Vicarios, & Paſtores concinit &c.

Nec ullus hinc aperitur aditus obloquendi ab Acatholicis contra Catholicos ad deſtruendum Petri Primatum, & ſupra omnes Apoſtolos juriſdictionis ſpiritualis poteſtatem. Quandoquidem ea juriſdictionalis poteſtas, quæ facta eſt communis à Chriſto omnibus Apoſtolis in univerſum Terrarum Orbem, itaut poſſent regere, & gubernare totam Eccleſiam, abſolvere, excommunicare, fidei dogmata aperire,

Epiſcopatus, & Epiſcopos inſtituere &c. ea erat extraordinaria, & delegata, & qua talis non tranſitura ad ſucceſſores eorum quoad poteſtatem juriſdictionis. Non autem ſic in Petro, qui ſingulariter à Domino conſtitutus eſt Paſtor ordinarius, cum poteſtate ordinaria in toto Mundo perpetuùm duratura, atque adeo ad poſteros ejus ſucceſſores, uſque dum hæc Eccleſia militans erit, ſucceſſivè traſmittenda. Et in eo Petrus ſupra Coapoſtolos ſuos poteſtatem habebat, quatenus ipſi erant, ſicut cæteri fideles, Chriſti oves, cum ſoli Petro dictum ſit; paſce oves meas ordinaria ſiquidem paſtoritia.

Et hæc ſatis indicata deſuper his, quæ habent in communi æqualis extraordinariæ poteſtatis inter ſe omnes Apoſtoli. Nec ideo hæreticum inde ſequitur dogma contra ſupremam Petri peculiarem poteſtatem: Et ſicuti Magnus Gregorius hom.27. inquit: Hominem habere commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis,non inde ſequitur paritas brutorùm cum homine, & hominis cum Angelis &c. abſolutè loquendo.

Jam nunc ad Paulinum Apoſtolatum, qualis is fuerit examinandum deveniamus. Hic enim, & quidem præ cæteris Apoſtolis, mirabiliter à Chriſto immediatè proceſſit. Cum enim alios elegit Apoſtolos, hos elegit non ad eorum petitionem, ſed ex beneplacito ſuo nil tale præſumentes ad Apoſtolatum vocavit, ut ipſe dixit: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Hoc unum tamen erat in eis; quòd non renuentes, non contradicentes, ſed promptè paratos, & obſequentes elegit. De Paulo autem non ſic, quem converſurus ut eſſet, & Apoſtolum faceret ex officio, deſcendit Chriſtus non vocatus, ſed provocatus à ſpirante minarum, & cædis in diſcipulos ejus, ad tantum Apoſtolatum eum neceſſarium exiſtimans, enuncians de eo: *Quoniam vas electionis eſt mibi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, &*

Regi-

Regibus, *& Filiis Iſrael*: Act. 9. hinc ipſe ad Galatas ſcribens cap. 1. dicit ſe accepiſſe Evangelium non ab hominibus, neque per hominem, ſed per revelationem Chriſti. Et quæ divinæ Sapientiæ fluenta profudit Jeſus per longa temporum intervalla in cæteris Apoſtolis, ut eloquitur Petrus Damiani Opuſc. 35. num. 3. ſubitò, & totum ſe ſimul in Vas electionis immerſit. nec diſtinxit à Petro in manifeſtatione ſuæ divinitatis, unde ille audivit: *Beatus es Simon Bar-Jona*: *Quod ergo Petrum Dominus per multa argumenta adhuc mortalis edocuit, hoc totum repentè B. Paulo conſtitutus jam in gloria Paternæ Majeſtatis exhibuit*. Quare, & ipſe Apoſtolus de ſe ad Galatas 2. fatetur: *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circunciſionis, operatus eſt mihi inter Gentes*. Et hæc de firmiſſima vocatione immediatè per Chriſtum facta æqualiter cum cæteris Apoſtolis, quinimò, & mirabiliori modo de perſona Pauli, & hinc aſſertio Catholica eſt: *Quod æqualis erat in poteſtate cum cæteris Apoſtolis*, & quippè ſano modo intelligitur de communi eorum poteſtate, non de comparativa ad Petrum, quæ cum ſingularis eſſet in illo, ab ea communi præſcinditur.

Qualis quantuſque fuerit inter Apoſtolos, & præ cæteris Apoſtolis Paulus per mare, perque aridam, agnoſcat dum audit ejus Apoſtolatum ſupparem pronunciari in poteſtate cum cæteris Apoſtolis, & præ cæteris extolli, dum & in ſortes aliorum ſuam falcem immiſiſſe legitur.

Equidem quod commune erat promiſcuè omnibus Apoſtolis in facultate poteſtativa Apoſtolatus, hoc uni datum eſt Paulo, & in hoc præcipuè ejus opera ſpectata eſt, quòd plures nationes docuit, & ad fidem convertit quàm cæteri Apoſtoli, in quem proſpiciens S. Jo. Chriſoſtomus hom. 2. inquit: *Angelis quippè ſæpè diverſarum Gentium cura commiſſa eſt; ſed nullus illorum creditum ſibi Populum ita gubernavit, ut Paulus univerſum gubernavit Orbem.* (Et infra) *Michaeli gens commiſſa eſt Judæorum*: *Paulo verò*

terræ, ac maris, & univerſi Orbis habitatio, ipſumque deſertum. Et hom.8. *Paulus alter Aaron totius Mundi Populis invictus Sacerdos*. Hinc meritò ipſe Paulus 2. Corinth.11. dicit ſe habuiſſe ſolicitudinem omnium Eccleſiarum: ubique enim Evangelicam diſſeminando doctrinam, Eccleſias erigendo, Epiſcopos ad curam animarum inſtituendo, & ubi opus erat abſolvendo, corrigendo, puniendo, etiam immiſſo fulmine excommunicationis, quæ nonniſi ab Apoſtolatu poteſtativo procedebant. Quare idem Chriſoſtomus in allegatum ad Corinthios locum dicit Paulum totius terræ curam geſſiſſe, & cum cæteri Apoſtoli miſſi ſunt ad Provincias certas, Paulus ordinatus eſt à Deo ad omnes Gentes ſine certæ Provinciæ determinatione, unde ipſe de ſe veriſſimè aſſerit Corinth. 1. 15. plus omnibus laboraſſe.

Paulini Apoſtolatus curſum metitur D. Hieronymus in cap.5. Amos, & ſcribit Paulum non ſolùm plantaſſe Chriſti Fidem per totum eum longiſſimum tractum,qui eſt à Jeruſalem, uſque ad Illiricum, ut etiam ipſe ait ad Rom.15. ſed etiam à Mari rubro, uſque ad Oceanum per totum ferè Orbem, ut priùs eum terra defecerit, quàm ſtudium Apoſtolatus. Totus in Pauli profuſus laudes exultat S. Auguſtinus lib.14. c.9. de Civit. Dei, & nos pulſat: *Ut eum potiſſimum commemoremus, qui in Eccleſiam Chriſti ex Gentibus venimus, Doctorem Gentium in fide, & veritate, qui, & plus omnibus ſuis Coapoſtolis laboravit, & pluribus Epiſtolis Populos Dei, non ſolum tantùm, qui præſentes ab illo videbantur, verùm etiam illos, qui futuri prævidebantur, inſtruxit. Illum, inquam, Virum B. Paulum Athletam Chriſti, doctum ab illo, Unctum de illo, Crucifixum cum illo, Glorioſum in illo*. (Et infra) *Deſiderantem videre Romanos, ut aliquem fructum habeat in illis, ſicut in cæteris Gentibus*. Auguſtino antiquior Magnus Athanaſius Paulum Orbis habitati Præceptorem vocat, Serm. in Aſſump. Chriſti. Et noſter S. Bernardus ſerm.2. de Purificat. Mariæ: *D.Paulus converſus*

ſus

ſus Converſionis miniſter factus eſt in univerſo Mundo: & denique Nicephorus lib.7.hiſt. Eccleſiaſt.cap.1. docet; quibus in partibus continentis quiſque Apoſtolorum Evangelium prædicaverit, & quomodo Paulus tanquam cœleſtis avicula omnes totius Orbis Provincias pervolaverit.

Mandaverat Chriſtus Apoſtolis,quòd eſſent teſtes ejus, uſque ad ultimum Terræ Act. 1., & Marci 16., quod ut convenientiùs fieret, partiti ſunt inter ſe totum Orbem per duodecim partes juxtà numerum Apoſtolorum, & Provincias inter ſe ſorte diviſerunt. B. Matthæo obvenit Ethiopia quantùm ad partem Nubianorum, B. Jacobo Majori Hiſpania, Minori Judæa, Jeruſalem ordinatus qui fuit Epiſcopus, B. Thomas ad Indias abiit, prædicavitque Parthis medis, Perſarum gentibus, Brachmanis, Hirchanis, Batrianis ſecundum quoſdam. B. Simoni Terra Ægypti, B. Andreæ Terra Græcorum cum quibuſdam adjacentibus. B. Petro, cæteroqui ſupremo in omnes Orbis partes, pertinebat peculiari ſorte Italia, cum tranſtulerit Sedem ſuam in Urbem. Soli Paulo non fuit aſſignata aliqua Provincia, quia Spiritus Sanctus prohibuit dicens, quòd Paulus deberet ſegregari à cæteris act.13., & ob hoc prædicabat, & Apoſtolatus poteſtatem gerebat in *ſortibus aliorum Apoſtolorum*, dum accepit totum Mundum, & ideo vocatur Doctor Gentium, ad Timoth.2. *Ego poſitus Prædicator, & Apoſtolus, Veritatem dico, & non mentior. Doctor Gentium in fide, & Veritate*. Quòd verò in ſortes Apoſtolorum omnium tranſierit, & ubique aliorum ſuo Apoſtolatu ſpatiatus fuerit, accuratiſſimè enunciat Oecumenius, qui enumerat peregrinationes omnes Apoſtolatus Pauli. Nonnè Joannes Summus Apoſtolus, & Evangeliſtarum Maximus curam gerebat Eccleſiarum Aſiæ, quibus tanquam ſibi ſubditis præcipuè ſcripſit librum Apocalypſis? Paulus tamen ſupra 24. annos diverſas in Aſia fundavit Eccleſias, ita ut à Jeruſalem uſque in Illyricum impleverit Evangelium Chriſti, ut ex lib. Act. & ejus Epiſtolis.

Et

Digitized by Google

Et ulteriùs videns plures Eccleſias, vel à falſis Prophetis, & Pſeudo-Apoſtolis ſubverti, vel deviare à rectitudine fidei coram, & ſcripto monet, corroborat, arguit, & ad viam Veritatis reducit, ut ex Joanne Friedo de Scriptoribus Eccleſ. lib.1. c.2. par.3. Et ſi in Epiſtola ad Romanos 15. de ſe conteſtatur inquiens: *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem &c.* Ibi ex modeſtia loquitur Apoſtolus, & quippè poſuerant fundamentum alii Apoſtoli, ipſe tamen vel labe factatum inſtauravit, vel inchoatum perfecit ædificium, quinimò tanquam egregius agricola ſeminavit bonum ſemen, plantavit mirificas arbores. Qui dixit: Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.

Ex his igitur ſatis etiam, ſuperque conſtans hæc Veritas eſt; cum poteſtate Apoſtolatus introiſſe in ſortes omnium Apoſtolorum Paulum, & in eam etiam Petri Romanam Petro conſimilis in Apoſtolatu, cui tamen ſubdebatur tanquam celſiſſimo culmini omnium Apoſtolorum, & cum facultate ordinaria perpetuò duratura Dominici Ovilis ſupremo, univerſalique Vicario.

Cæterùm prærogativa Apoſtolatus Pauli ea eſt, ut cum nudè pronunciatur hoc nomen *Apoſtolus* per Antonomaſiam Paulus intelligitur: ut advertit S.Auguſtinus ad Bonifacium lib.3. c.3. dicitur inſuper Princeps Apoſtolorum ſimilitudinariè cum Petro, & caput Nationum, & quod obtinuit totius Eccleſiæ Principatum quoad eminentiam doctrinæ, laborum, & moleſtiarum, non autem quoad eminentiam ſupremæ, univerſaliſque poteſtatis, & juriſdictionis, quæ unicè erat in Petro, & ad dexteram ſi quando adſtans Petri viſitur, honoris ergo doctrinæ eſt, & univerſalis prædicationis, & inſuper, quia repræſentat Eccleſiam Gentium Sinagogæ præpoſitam, quarum Magiſter præcipuus in vocatione ordinatus fuerat à Deo. Fuit pariter cum Petro ædificator Romanæ Eccleſiæ, & Romanus Epiſcopus, non propriè, & in ri-

Digitized by Google

in rigore, ſed ſimilitudinariè, & in officio Adjutoris Petro ſubordinati; quia ut habetur in textu *cap. Romana extra de appell. lib.6.* Epiſcopi, & Adjutoris idem eſt tribunal. Sed de his videſis Epiphanium hæreſi 27., Euſebium hiſt. lib.3. c. 2. Leonem Magnum ſerm.1. de Petro, & Paulo. Adrianum.I. Epiſt.89. Gregorium VII. in Conc. Rom.VII. Ambroſium in Carminibus de SS.Petro, & Paulo, Adrianum II. Epiſt.I. ad Baſilium Imp., & noſtræ imbecillitatis adeſt Apologeticus diſcurſus jam typis conſignatus, quo expurgamus à conſimili impoſtura de re Eccleſiaſtica literaria meritiſſimum Virum ex Ordine S.Benedicti Abbatem Conſtantinum Cajetanum in noſtro ad Italiam Sacram opere tom.1. ubi de Caſinenſi Epiſcopatu col.612.agimus quiſque contrarium crocitans ſuo ſilentio perditus, nil habet, quod obloquatur Paulinæ Majeſtatis obrutus Luce. Et jam progrediamur ad ulteriora.

AD URBEM FULGINIAM
Umbrorum clariſſimam.
E L O G I U M III.

Lucem in Umbris dum noveris
Lector
Ne ſtupeas
Habet enim & UMBRIA *Solem ſuum*
FULGINIUM *nempe*
Non unum irradiatum ſplendore
Sed

Sed
Nobilitatis antiquitate Religionis firmitate
Literarum excellentia honorum inſigniis
Copia divitiarum armorumque decore
LUCIDISSIME EFFULGENS.

Notæ.

UMBRIA hoc tempore notiſſima Italiæ Regio, Auguſtiſſima olim, quæ nunc anguſtiori limite clauditur, à Picentibus Septentrionem ſi ſpectes, Meridionalem ſi plagam reſpicias confinia habet Patrimonii, & Sabinæ, cui oriens Sol Aprutinus eſt, ſubtrahit ſerò Peruſinus ager. Umbros authores habuit, Italiæ populorum antiquiſſimos illos, qui variis geſtis bellis, ſedibus ſuis pulſi ſunt à Tyrrhenis, trecentis, & amplius deletis illorum Oppidis, Regio Tyrrhena permanſit, quæ nunc Etruſca eſt. Inde emiſſus Umber Tranſtyberim ſua tentoria poſuit, latiſſimamque Provinciam ſibi inſtruxit Etruſca feliciorem. An locus incolæ, an incola fecerit nomen loco, adhuc lis ſub judice eſt. Ab Imbre Umbriam, qui dicunt, hi ſanè ab indigenis nomen accepiſſe ferunt, qui è Noetica ſtirpe magno Cataclyſmo ſubtracti, ſuperſtiteſque inundationum imbribus, Umbri ſunt dicti, & Umbriam, ideſt Imbriam, primò nuncuparunt, quam incoluerunt regionem. Vel ſanè, quòd ea Italiæ Regio ab his tunc primùm, cum facies terræ iterùm inhabitari cœpit, ſuos advenas Umbros ab Umbrà denominaverit; quòd ipſa circumſepta montibus Apennini altiſſimis, nimiùm obnoxia ſoli, Umbroſa eſſet, & Umbria appellata: alii verò ab Umbrone Etruriæ Fluvio cognominatam

ſcribunt,

ſcribunt. Delatum inde nomen gentis antiquæ novæ regioni obvenit, ubi plurimas inter, quæ emerſerunt, illuſtriores Civitates, Fulginium caput extulit ad omnium rerum ubertatem in extenta planitie: & Fulginium, quæ, & Fulginia dicta hæc Civitas eſt, vel à conditore Fulginio Umbrorum Duce, vel quod illam admirarentur mortales amæniſſimo in loco ſitam, & præ cæteris claro ſub cœlo irradiatam Solis fulgoribus, ut de ea ſcripſit Nicolaus Perottus Archiepiſcopus Sipontinus, Soxoferratenſis, natali ſolo gloria Umbrorum, in ſua Cornucopia.

Et hinc jam primò exuberans hujus Civitatis fulgor ab origine, & antiquitate; quòd ab omnium antiquiſſima Italiæ gente progenita fuerit, & ante Urbem futuram rerum Dominam ſeptingentis circiter triginta annis ſuos habuerit natales: quod equidem ad Patriæ ſuæ decus non trepidat affirmare Jacobillus, cum de ea diſertiſſimè agit, ad Umbros à Tyrrhenis pulſos ejus exordia reiiciens, deque his non temnendos teſtes adhibet in diſſertatione Fulgineę Civitatis, quam vernaculo idiomate cudendam curavit anno 1646. & ibi pag.4.

Et hæc nobilitas fulgidiſſima eſt, quæ petitur ab antiquitate, ut advertit Philoſophus lib.3.Top., & 2.Rhet. Æternitas enim, quæ ſolius Dei eſt, nullis creaturarum modulis, ſed ſuo tantùm Triſagio commendatur; & antiquitatem, quæ magis ſapiunt, eidem cum propiùs accedant, nobiliora ſunt. Carthaginem Virgilius, Italiamque ab antiquitate celebrat primo Æneid.

Urbs antiqua fuit (Tirii tenuere Coloni) Carthago.
Eſt locus (Heſperiam Graii cognomine dicunt)
Terra antiqua potens armis, & ubere glebæ.

Quòd ſi illuſtrior ea nobilitas eſt, quæ ab antiquitate petitur, ſi quam præferunt claritatem præclariores Italiæ Provinciæ, hanc ab Umbris derivatam agnoſcunt, quorum in ſinu complectebantur, cum Umbria latiſſimos fines anti-

Digitized by Google

quitùs commenſuraſſet, cujus rei fidem faciunt plures effoſſæ de ſinu antiquitatis marmoreæ inſcriptiones, quæ celebriores Italiæ Provincias appoſito prænomine Umbriæ extollant, uti ſunt Umbria Tuſcia in Piceno, Umbria Sabina, Umbria Cruſtomina, Umbria Fidenata, Umbria Senonia, Umbria Camertes. Quòd ſi tam latum ejus ſinum apud antiquos meditemur, inter celebriores totius Europæ regiones Umbria accenſenda eſt, uti de ea, imitati diſſertationem Jacobilli in opere de SS. Umbriæ to. 1. inſignes Scriptores enarraſſe comperimus: *Plin. loc. cit. c. 16., & lib. 3. c. 5., & 14. lib. 5. c. 32. S. Iſidor. Etimol. l. 24. cap. 4. Dion. Alicarn. l. 1. Fr. Leander in Ital. de Umbria, & Thuſcia. Ciattus p. 1. l. 1. & 2. biſt. Petrus. Merula parte 2. Coſmogr. l. 4. c. 18. 21. 24. Pomponius Mela l. 2. cap. 4. Jadocus Hondius in nova Ital. deſcript. de Umbria Strabo, Paterculus, Ptolomaus, Livius l. 9. Cato de Orig., & alii*. Ab his Umbri antiqui, ſeu priſci nuncupantur, & Vetus Umbria, & quandoque Aborigines dicti, id eſt ſine certa origine, quòd inveſtigabilis ſit eorum antiquitas, adeoque ſuper cæteras Italiæ nationes magnæ vetuſtatis decora produnt, ſed jam ad Fulginium clariſſimam Umbrorum ſedem redeat noſter ſermo.

A principio Fulginium habuit ſuæ geneſis Duces, paruit dein Etruſcis Italiæ Regibus, quibuſcum pugnam facere in Romanos ad Imperium Orbis inhiantes, Romamque ſubigere dùm intentant anno C.V. 445. exterriti, fuſique Fulginates cum ſociis victoriam dedere Q. Fabio Maximo Rulliano Coſ. Ductorique Romulei exercitus, quem, & audaciæ ultorem ſenſerunt, excidio à propriis ſedibus extorres facti: Sed nec ſatis maturati fuga, qui ad pœnitentiam mutari debuiſſent, noviter bellum inſtaurant bellantium turmis admixti cæteris Umbris, Etruſcis, Gallis Senonibus, Samnitibus, agnovere arma Romana nulla Imbrium vi demergi poſſe, quæ in immenſum jamjam attollenda forent, ſuperum ſic auſpice Numine. Fractum iterùm hoſtilium robur tot Legionum

gionum

gionum, eodem vindice Fabio, cum cæteris perdomiti ſunt Fulginates ann.C.V. 458., ut de his *Tit. Liv. Dec.1. lib.9.*, *&* 10. *Blondus Sabell. Tarcagnota vol.1. par.1.* Nec ideo inglorius Fulginas miles, quia vacua in alios contulit arma: laboris, & periculi militaris officii fungi cupidus, experiri cum Romanis animumque, virtutemque ſuam voluit. Signa deinde pacis, amoriſque à Romanis accepit Fulginium libertatem, & Romanam civilitatem inter Romanas Præfecturas connumeratum ann. V.C. 488. & quippe inter eas, in quibus nundinæ agebantur, & hujus conditionis Præfectura loci dignitas eſt; ut recitat *Sextus Pomp. Feſt. lib.*14. Hinc opes, & aurea Civitas ſi forum ibi vigeat nundinarium, quod & uſque nunc haud imminutum perdurat apud Fulginates: quare in id reſpicietes Fr. Hieronymus Capugnanus, & Franciſcus Scottus *in Itin. Ital.in Fulgin.* dixere. *Fulgineum mercatura dives, maximè verò rerum ſaccaro coopertarum, Nundinis valdè frequentatur*. Et nundinationum tempore ab immemorabili, & ex Summorum Pontificum acceſſione privilegiorum quinque delecti Prætores è conſilio, & gremio nobilium Civitatis jus omne ſuſtinent in Civitate, ejuſque diſtrictu agnoſcendi, terminandique cauſas omnes, ſive civiles, ſeu criminales ſummariè, ſimplicitèr, & de plano, ſola facti veritate inſpecta, & manu regia. Quod equidem, quid magnum eſt, ad claritatem Civitatis comprobandam, cum Præfecturæ ſtudio opes in Nundinis, & auctoritas Civibus accedant.

Sed anno poſt quarto ad majorem Populi Romani commeatum delecta hæc Urbs, Municipium dicta eſt, & una ſubinde è lectiſſimis Umbriæ Civitatibus, quæ præcipuo Romano fœdere claruerunt. Et hinc Fulginii Fulgor magis excreſcit, quò magis ejus imago ſublimiori claritati accedit ſummæ nobilitatis, quæ omnium maxima eſt, Romani Imperii. Hujus igitur in poteſtate fuit, ſicut Sol aſtris, cæteris locis ſuum ſplendorem communicare, & honoris titulos tribuere.

buere. Hanc ſuſcepit benè gerendæ Reipublicæ rationem Populus Romanus: eos qui ſuæ ſe poteſtati primùm ſubmiſiſſent, non ſubditos, ſed ſocios, amicos, concives, & gloriæ, honoriſque omnis militaris conſortes habere: decretumque eſt, ex quo in Regni ſocietatem, & in Civitatem Italos vocarunt, Gallis etiam Ciſalpinis, & Venetis idem honoris impertiundum eſſe; & Universos Italos Romanos nuncupandos esse, ut apud Strabonem legitur *lib.5. Geograph.* Modicum erat inter Præfecturas connumeraſſe Fulginium: nam etſi jure Civitatis donabantur loca in Pręfecturas aſſumpta, tamen Præfecti Romani jure obſtricta erant. Si verò Virtus Civium majora expoſceret, ad Municipii decora aſſumebantur. Cicero Cn. Lerium Flaccum præfuiſſe in Præfectura Fulginate commemorat *pro Lucio Var. orat. 2. ut in fragm. operum Cicer. apud Priſcian. Gram. & Quintil. lib.4. & 5. c.13.* qui & Cajum Ancarium Rufum è Municipio Fulginate fuiſſe aſſerit. Quantùm fœderis, & gloriæ habuerit hæc Civitas apud Romanos, depræhenditur, dum ſimul cum Camertium ſede extollitur ab eodem Oratorum Principe *pro L. Cornelio Balbo in orat.* ubi inquit: *A te ex conjunctiſſima, atque amiciſſima Civitate fortiſſimum quemque eſſe delectum; neque Fulginatium, neque Camertium fœdere eſſe exceptum, quò minùs eorum Civibus à Populo Rom. præmia Virtutis tribuerentur.* Quantùm præſidii fuerit Romanæ rei Fulginium, arma, & Viros Publio Cornelio Scipioni jungens, in Africam ad bellum militares, cum ducerentur Legiones, narrat Silius Italicus lib.8. Acies Fulginea in aſperrima quæque irrupit, ſubiitque fortiter, cum bellum ad Cannas faciundum eſſet. Quod, & ſæpius præſtitit effuſo agmine, ſive ut Principem Urbem adverſus hoſtes tueretur, ſive ut hoſtes, exteraſque gentes in ditionem Romani nominis traheret. Et meritò Municipes facti Romanorum Fulginates, ea ratione, quòd etſi Romano ſub Imperio eſſent, ſuis tamen legibus viverent, & cum jure ſuffragii muneris omnis,

Digitized by Google

omnis, honoriſque cum Romanis participes fierent. Sed cum non adeo firma fides ſit humanarum rerum, quæ deinceps labefactari non poſſit, cum ſocialeMarſicum bellum exarſit, & contra gliſcentem Romanam rem ad defectionem vocarentur circumvicini populi, cum cæteris contra Romanos dextras armavit Fulginium. Aſt Romani, qui primùm improſperè pugnaverant, dein reaſſumptis gladiis Victores Marſos ad internicionem uſque delerunt, & in Fulginates jamjam graviter ſævitum à Lucio Portio Catone Conſ. Rediere ad Romanum fœdus. Sed frequentiores aliquando cum ebullirent inter Romanos civiles ſeditiones à Fulginatibus in partes diſtractis vario exitu dimicatum eſt. Poſt declinationem Romani Imperii Barbarorum in Italiam irruentium, & Fulginium abſorptum eſt inundationibus. Verùm hoc mirum: Quò magis hoſtilium cladium impetu deprædata deiiciebatur hæc Civitas, eò generoſiori animo à ſuis Civibus in priſtinum ſtatum reſtituebatur. Contigit tamen, quòd aliquando muris exuta, variantis fortunæ poſteritati exemplum tale fuerit; ut eam appellaverit Appianus *lib.4. Civil. Bell.* Imminutum quoddam, & ignobile oppidum: & ſicut ſolim Roma crevit Albæ ruinis, ita Fulginii priſtinum ſplendorem refecerunt ruinæ conterminæ Civitatis Foroflaminii.

Forum Flaminii parùm à Fulginio diſtans quondam celeberrima Civitas, & Romanorum Municipium, ſuam originem reiicit in eum Cajum Flaminium juniorem Conſ. cujus genitor C. Flaminius, magnis ſumptibus Flaminiam de ſuo nomine illam Viam ſtravit, quæ ab Urbe per Umbriam Ariminum uſque ducebat: opus tamen inchoatum à Patre, ex eo genitus Flaminius perfecit, ingredique voluit Flaminienſem, cui ſui nomen impoſuerat, Civitatem: hanc evertit Luitprandus Longobardorum Rex anno redempti Orbis 740., quo met adverſo fato exciſum etiam Fulginium fuit. Flaminienſes igitur, Fulginates, aliique attigui populi ſuis laribus, tectiſque nudati in unum convenere, & ex rui-

nis

nis præcipuè Fori Flaminii, feliciori omine Fulginii iterùm extulere muros, & murorum intrà circuitum ædificia conſtruxerunt. Nec fidam in poſterùm quietem recepit Fulginium. Centum poſt annos plurimùm deſævientes Saracenos perſenſit: anno deinde 915,, & 924. Ungharos irruentes ſuſtinuit: indoluit cedens modò Guelfæ, modo Ghibellinæ factionibus. Cum deinceps armorum potentia in Fridericum II. Imperatorem recidiſſet, hujus fortunæ arridens Fulginium, contra jus ſocietatis in Peruſinos, Peruſinumque agrum irruit, ut Imperatori morem gereret. Hinc laceſſitus Peruſinus Populus injurias Vindiciis delevit,& quod malum, quod infelix eſſet Fulginatibus dedit anno ſalutis 1282. Sed quæ nequiſſima conditio temporum ſępius adverſi irrogabat, avertere cupiens Fulginas Civis, converſus ad Superos, Votis imò de pectore ductis, præſidium, auxiliumque de alto imploravit ann.1289. Nec omen viſum eſt cecidiſſe in caſſum: ſiquidem opitulante ſanctiſſimo Fulginatium Epiſcopo Feliciano (ut cœlitus revelatum fuit) quievit hæc Civitas, & præpotentior armis, opibus, literis, paciſque artibus facta, ſolius Romani Pontificis ſuave Imperium agnovit, & colit, uſque modò. Ante, & poſt reparatam à Chriſto Domino ſalutem Fulginii fieri mentionem comperimus: Qui de eo ſcripſere,præcipui ſunt *Cato Cenſorius lib.de Origin.Urbin. Latii. Cicero Orat. pro Lucio Corn. Balbo, pro M. Varrone, pro Lucio Vareno Cæſar lib.5. de bello civili, Silius Ital.lib.4. 6.& 8., Plinius lib.2.& 3., Titus Livius in ſuis lib.à 1.uſque ad 10., Appianus Alexandr. lib.5. de bel. civil., Scotus, & Campagnanus in Itin. Ital. parte 1. Priſcianus lib.7. de Arte Gram. Blondus Ital. Illuſtr. lib.1. ubi de Umbria, Nicolaus Tignoſius de Origin. Fulgin., Sigiſmundus de Comitibus Fulginas celebris Scriptor in Comment., & hiſt. ſui temporis, Fr. Jacobus de Bergamo lib.13., Volaterranus lib.6. Geogr., Fr. Leander Albertus in Umbria, Zacharias Lilius in Brev. Mundi, Marius Niger in Geogr., Durantes Dorius in hiſt.*

Trincia,

Digitized by Google

Trincia, *Felix Ciattus Hiſt. Perus p.*1., *Pompejus Compagnonus in Regia Picena*, *Marcus Guazzus*, *Laurentius Scraderus*, *Merula*, *Cluerius*, *Maginus*, *Wadingus*, *Arturus*, *Panvinius*, *noſter Ughellus*, *Baronius*, *&* *laudatus Jacobillus*, *aliique plures apud ipſum*. Et hoc plurimùm confert ad veræ nobilitatis fulgorem probandum, cum magna laus ſit, ex omnium ſententia, laudari à dignis Scriptoribus, ſuumque nomen ad poſteritatis memoriam in libros referri, & exprimi æneis, marmoreiſque tabulis, & quod aliquod magnum hac in re ſit, Virgilianum illud carmen effatur Georg.3.

Tentanda Via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, Victorquè Virum volitare per ora.

Veruntamen nullus moveatur, quòd quandoque Fulginium Oppidum, & Fulginates Oppidani apud antiquos Scriptores nuncupentur, ut habetur apud Plinium lib.3. cap. 14. allegatum à noſtro Ughello to.1. Ital. in deſcript. Eccleſiæ Fulginatenſis. Quiſquis enim pervoluerit vetera hiſtoriarum documenta, & juris codices, proculdubio præcipuis etiam Civitatibus hoc Oppidi nomen aſſutum fuiſſe comperiet; cum ſæpe indifferenter legatur, eandem Civitatem Oppidum, & Urbem appellari: ut latè obſervatur in ipſo linguæ latinæ theſauro in verbo Oppidum. Quod ſi aliquando Oppida ab Urbibus in eo diſcriminantur; quòd Urbes majores, amplioreſque ſint, oppida verò minora, & obſcuriora, procul id à Fulginea Civitate, quam Romanorum fœdere claram, nobile, ac perantiquum eorumdem Municipium, & Præfecturam agnoſcimus. Ravenna Urbs undequaque celebris, ut notat Rubeus in hiſt. Raven. fol. mihi 10. ſæpius ab antiquis Oppidum nuncupatur. Unī quippe Romæ propter maximam ſuper omnes excellentiam Urbis nomen ſervatum videbatur, ut habet Cagnol. in proæm. ff. in 5. *Illud verò* n.274. Centoflorenius Juriſconſul. in ſua conſul. impreſſ. apud Barboſ. in can.2. diſt.80. in-

cip.

cip. *Poſita conſtit.* in ſin. verſic. *Non obſtat*. Et quidem in jure habemus exemplum in proæm. ff. in 5. *Hæc autem*, & in 5. *Illud verò*. Ubi Berytus priùs Civitas, poſtea verò oppidum dicitur; cum tamen Berytus Civitas ſit Metropolitana in Provincia Fœniciæ æqualis Tyro conſtituta ab Impp. Valente, & Theodoſio in l. *vnica*, *cap. de Metropolitana Beryto lib.* 11. ex his igitur ſatis illibata perdurat nobilitas, & fama Civitatis Fulgineæ, ab ipſis ſuis exordiis.

Nec ideo quis gravetur, ex eo, quod inibi nundinæ exercerentur non Fulginium ex ea præfecturarum claſſe accenſendum ſit, cujus vigore etſi incolæ Cives Romani acclamarentur, non ſuis tamen legibus uti poſſent, nec è ſuo gremio Magiſtratum extollere, ſed Romano jure, & imperio omninò obſtrictos fuiſſe, cum Municipii, & Colonis præclariora quæque facinora ſuſtinuiſſet; Ea enim erat celebriorum Urbium in Italia conditio; ut ex Municipio fieret Præfectura, & viciſſim Præfectura in Municipium tranſiret, & ex utroque Colonia, & utrumque ex iſta, & in Urbe exinde forum nundinarium celebre haberetur, ut de his Svetonius, Feſtus, aliique.

Si Civitatis ſplendor ulteriùs poſtulandus ſit à literis, quos, quantoſque viros Fulginium ediderit omnium ſcientiarum, & liberalium artium genere cultiſſimos rememorat Jacobillus, ubi agit de Scriptoribus Umbriæ, & Fulginatium Chronicis. Contuetur Orbis univerſus literarum fulgorem, & fœlix ea Reſpublica eſt, in qua vel Philoſophi regnant, vel Reges Philoſophantur. Nonne, & Fulgentiſſimus nobilitatis gradus eſt doctrinæ eminentia, & eam habere perfectionem intellectus, quæ eſt res per ſuas cauſas intueri? Hanc animi, ingeniique ſortem celebrat, Virgilius 2. Georg.

Fœlix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum.

Fulgidiſſimum nobilitatis ſertum auxere, ex Urbe Fulginii, qui inde prodeuntes ad varias locorum, & perſo-

Digitized by Google

narum dominationes aſſumpti fuerunt. Purpuratos Patres, Sacrorum Principes, Regularium Ordinum Præſides, ſive Generales, Provinciales, Abbates cum Pontificalium uſu, Rectores Civitatum, Romanæ Urbis Senatores duos, & Gubernatorem, Fidei Inquiſitores, Summorum Pontificum Conſiliarios, & à ſecretis, alioſque ſummis dignitatibus exornatos celebrat allegatus Jacobillus. Quod ſi ex Tacito 2. Hiſt. & 15. Ann. *Vetus, ac pridem inſita mortalibus potentiæ cupido*: Eaque *cunctis affectibus flagrantior*: Quia, ut Saluſtius ſcripſit: *Natura mortalium avida Imperii eſt*, quo magis fulget dominio, eo nobilior eſt, cum alioqui diſcrimen nobilitatis ſit, ſervire, & cæteris ſubdi, & id longè ſit à perfectione naturæ integræ, cui *Dominamini* à Deo dictum fuit *Geneſis cap.*1.

Cum ruſticitas, & barbaries ob lapſum naturæ occupavit Orbem, & perfidus frater in fratrem innoxium irrupit, tanta temeritas deprehendit homines, ut terram, quam diviſit eis, & jura Deus in funiculo diſtributionis, ſimul tumultuariè confunderent, & turpiſſimè invicem ſibi uſurparent. Hinc factum conſultiſſimè, quod armis Principes, & Populi ſua quæque tuerentur, & arrepta recuperarent: & arma ſi juſtè adhibeantur juſtitiam decorant. Et apud Romanos eo in pretio erant armorum Præfecturæ, quòd glorioſum certamen glorioſus ſubſequeretur triumphus: adeoque ex armis nobilitatis ſplendor exoriebatur, de cujus decore librum edidit Lucanus, Æneidos conſcripſit Virgilius, & Priami nobile bellum cecinit Horatius. Arma literas fulciunt, & ſi togis cedunt; ſine armorum præſidio haud in pace togati ſuam vitam ducunt. Qualis, quantave fuerit Fulginatium laus in armis Jacobillus rememorat, qui plures inſignes Viros memoratu dignos enumerat, quorum gloria in armis latiſſimè diffuſa auro pretioſius bellicoſum ferrum illuſtrantes Patriæ ſuæ clariſſimum fulgorem addiderunt.

Digitized by Google

Sed quod accenſiſſimi, & fulgentiſſimi honoris, ſplendoriſque Fulginiæ Civitatis celebre, Populi Religio eſt; quam in Fulginatibus extollit Romanæ elocutionis Princeps locis ſupra allegatis, aſſerens: *Fulginates Viros valdè religioſos fuiſſe*, Et hoc equidem ex eodem Oratore de Aruſp. reſponſ. Romanorum ſummæ laudis fuit: *Non calliditate, aut robore, ſed pietate, ac religione omnes Gentes, nationeſque ſuperaviſſe*. Et licet pietas, religioque Ethnicorum falſa fuerit, ea tamen, quæ fecerunt, laudabiliter ita fecerunt, ut plauſum promeruerint, quamvis non ad finem veræ pietatis, religioniſque referebantur. Ita S. Auguſtinus docet, bonas, & laudabiles eſſe Infidelium Virtutes *lib. de Spir.*, *& lit. cap.29.*, *& Epiſt.5. ad Marcellinum ſcribebat*, Romanos ſuam Remp. auxiſſe Virtutibus, & ſi non habentes veram pietatem, cuſtodientes tamen ſui generis probitatem. Deum quoque oſtendiſſe in Romano Imperio, quantùm valerent civiles etiam ſine vera Religione Virtutes: & fortiùs divino ex ore lib.1. Machabæorum Virtutes Romanorum egregiè commendantur cap.8.

Singula hæc obiter enunciavimus, quæ ad efformandam, ſtabiliendamque nobilem Civitatem, Civeſque ingenuos conducunt. Sed inter decora plurima, & ſi millena enumerentur, in omnium Virtutum conſeſſu ſublimiùs fulget pietas, & Religio; unde ſeriò dixit Lactantius lib.5. Inſt. cap. 20. *Nihil eſſe in rebus humanis Religione præſtantiùs, eamque ſumma vi oportere defendi*.

Hac Pietatis, Religioniſque ſignificatione quantùm potuit pro ratione illorum temporum, quibus veri luminis ſplendor non illuxit mortalibus, effulſit ut Roma Fulginium, cui par cum Roma Tulliani Eloquii plauſus datus agnoſcitur: quòd ſi ex eo promeruit Urbs Princeps Orbis S. Doctoris Auguſtini Elogium, in hac parte feliciſſimè commendatur etiam Fulginium, Umbrorum verè Fulgor, jucunditas, & delicium, cum illuſtratum fuit Dei veri cultu ſecun-

ſecundùm inſtituta Evangelicæ veritatis, cui terque, quaterque dignus excitatur plauſus ab arce Solis, & cujus digna Polo in terris attollitur acclamatio Fulgoris In splendoribus Sanctorum.

S. CHRYSPOLTUS
Epiſcopus, & Martyr Fulginas.
ELOGIUM IV.

Exulta ò Civitas
Splendidiſſimum nomen Fulgoris
Nunc tibi adeſt
Suos ad te diffundit radios
Empyrea Lux
Converte gemina tua Lumina
E cœlo illapſum tibi intuere Solem
CRYSPOLTUS HIC EST
Cardine ab utroque Orbis Sanctiore
JERUSALEM & ROMA
Prodit Dei fidem Fulginio laturus
Errorum tenebras fugat
Evangelii Lucem aperit
Veruſque Fulgor Fulginium illabitur
Factuſque Evangelica Lampas
Magnus in medio tui Apoſtolus

 Cœleſti

Cæleſti Paſtore dignam
Fulginatium figit ſedem
Deiparæ ſacrat & Apoſtolo Petro
Suoque tandem cruore illuſtrat
Succedentium Gloria Paſtorum.

Notæ.

CHRYSPOLTUS, qui Chryſpolitus, & Cryſpoldus nominatur, Petrum Apoſtolorum Principem in fide magiſtrum agnovit Jeroſolymis adhuc commorantem, à quo in Italiam miſſus Fulginium venit: Vel ſanè cum ipſo Apoſtolo Petro, Britio Hieroſolymitano, aliiſque comitantibus Romanum iter aggreſſus eſt, Romamque ingreſſus Claudio Imperante anno ſalutari quadrageſimo quinto, qui omnes Sacris initiati à Divo Petro aliquandiù occultè fidei propagationi inſiſtentes, multos Chriſto pepererunt. Apoſtolica Romana legatione munitus Britius ad Umbros, aliaſque gentes abiit, qua auctoritate plures cum ordinaſſet variis in locis Epiſcopos, Cryſpolitum Fulginatibus attribuit, aliiſque Umbriæ populis eo in munere præſto eſſe voluit, quos ex gentibus ſuâ prædicatione vocaſſet ad Evangelii lucem; quare Vectonienſes, & Nucerinos ſuo Apoſtolico Præſulatu decoraſſe comperitur. Quos ad Dei cultum vocaverat, ſacras pariter Aras habere voluit; ædes ideo ſtatuit in Dei honorem per Umbriam variis in locis. Fulginii cum Apoſtoli Petri intellexiſſet triumphum per Crucem conſumatum, titulum eidem erexit, & alterum in honorem Deiparæ Virginis, prior, tempore corrodente, penitùs tandem excidit ann. 1614. alter pro Cathedrali diutiſſimè

tiſſimè inſervivit, extat adhuc Collegiata Eccleſia intra murorum ambitum, quæ extrà primitùs conſtructa fuerat. Denique multos cum erudiſſet in fide, miraculis, & Doctrinis Umbriam impleſſet, plurimis ſuperatis ſæviſſimis tormentis, glorioſiſſimi martyrii palma ſectus medius potitus eſt in cœlo die 12. Maii Chriſtianæ ſalutis anno 93., quod contigit Vectonii, ubi Corpus honorificentiſſimè ſepelitur ſub Ara maxima Eccleſiæ ejùs nomini ſacræ Vectonienſium præcipuus dictus Patronus, à quibus officio colitur, & celebri anniverſaria ſolemnitate glorioſi certaminis triumphus memoratur. Ad fidem adduxerat Criſpoldus Bubulcum, qui aratro terram dum proſcinderet feralibus luporum dentibus arreptus jam ipſe in fruſtra proſcindebatur, ni accurrens Criſpoldus ab eorum rabie miſerrimum cœleſti Imperio liberaſſet. Ita ereptus Bubulcus Criſpoldi meritis, & gratiæ Chriſti id tribuendum agnoſcens Chriſtum confeſſus eſt, & pro Chriſto cum Criſpoldo ignes, tormentaque varia cum defatigaſſet, capite cæſus martyrii coronam promeruit. Cruciatuum ſociam, & capitalis ſententiæ conſortem habuit Bubulcus Teutillam Criſpoldi ſororem. Bubulcus iſte ex Ughello, loco allegato, Baruntius nuncupatur, à Bovum cura Bobulcus tantùm enunciatur in Actis SS. à Papebrochio, & Enſchenio ad diem 12. Maii, ubi arantem inquiunt invaſiſſe Lupos diverſa per montis latera propè Bettonam ſæpiùs diſcurrentes, & in poſterùm indè ſeceſſiſſe fugatos ab animarum Paſtore Criſpoldo. Ughellus enarrat Bubulcum hunc una cum alio Chriſti Confeſſore, Vincentio nuncupato, inaudito crudelitatis genere à Præfecto devorandum fuiſſe lupis objectum, & utrumque ereptum à Criſpoldo ab ea immani lacinia. Hoc ſiquidem contigiſſe potuit lupos excitante tyranno in eum, qui ab ultranea luporum ſævitia immunis à Criſpoldo factus jam primò fuerat, & nunc ſecundò eos perdomuiſſe agnoſcitur. In laudatis SS. Actis edicitur, Teutillam fratris agoni accurriſſe cum duodecim mulieribus, quæ

omnes

omnes captæ, Idolis ſacrificare nolentes poſt varia pœnarum genera juſſæ ſunt in mammilla torqueri: denique plumbatis cæſæ ad cœlum evolarunt. Nec ideo cum Teutillæ certamen indicavit Ughellus, diluit illud duodecim mulierum, quòd ſilentio involuerit.

Sed & mentem convertamus ad tempus Criſpoldi adventus in Italiam, Fulginatemque Sedem, & Umbriæ Apoſtolatum. Authores allegati operis de Actis SS. Criſpoldi hujus geſta referunt ad Diocletiani Imperium, & collegæ Maximiani, authographo ducti Vallicellanæ Bibliothecæ: quod equidem Martyrum geſtis conſonat, eorumque expeditioni factæ ab Apoſtolo Petro; ſed ibi dum legitur, eos ſuſcepiſſe martyrium ſub Diocletiano, & Maximiano, excluditur ob nimis longam temporis diſtantiam miſſio facta ab Apoſtolorum Principe, & ne Apoſtolica expeditio deſtruatur, quæ nervus hujus quæſtionis eſſet, & perſtet lectio integra de tempore martyrii ſub Diocletiano, exploditur tempus perſonalis exiſtentiæ Apoſtoli Petri, & refunditur in perpetuum munus ſupremæ Sedis Petri, cujus vigore quilibet ſuccedens Summus Pontifex Petrus eſt. Sed ſolida, legitimaque hiſtorica enarratio omnium ante inſpectam Vallicellanam Scripturam cum de expeditione facta à Petri perſona ſemper intellecta fuerit, non eſt, quòd pro elucidatione Diocletiani temporis effugium ſit ad Petri ſedem, vice Petri perſonali exiſtentia, & ſemper idem Apoſtolicum munus: Ughellus, & Jacobillus incontrovertibiliter tenent Criſpoldum fuiſſe primum Fulginatium Epiſcopum, & quippe illuceſcente aurora Chriſtiani luminis, quæ primam diem mortalibus Ethnicis aperuit in hiſce oris, quando & apparuit Apoſtolorum opera Romanis in arcibus. Et hoc morali certitudine firmatur conſenſu omnium Umbriæ Eccleſiarum, quæ cum de his Sanctis agunt, omnes mente una conſentiunt ad hæc loca adveniſſe Petro impellente, Claudio Imperante, & demùm per orbita martyri ſub Domitiano migraſſe ad Cœlum.

S. BRI-

S. BRITIUS
Epiſcopus Fulginas.
ELOGIUM V.

Exiguo Iſraelitidum cœtu
Petrus profligaturus
Ampliſſimam Idololatricam turbam
Britio Apoſtolicum ſceptrū in Umbros conſignat.
Horruit Sathan
Feracem ſuam excetram
Ignito Diviniſſimi Verbi gladio
Perditam cernens.
Nodoſis Virtutum fuſtibus
Magis quàm Pontificio Pedo
Cum dejeciſſet Criſpolytus
Inferni inſurgentes Hydras
Ad Cœlum ſeceſſit claro martyrii ſucceſſu.
Tanti jacturam Protoparentis
Cum deflet Fulginium
Supplet Britius
Proficuus Umbrorum Paſtor
Et bonus Præceptor
Profunda æternæ Sapientiæ Theoremata
Definiens

Ad

Digitized by Google

Ad veræ Lucis auras
Fulginium ducit
Et docet
Dominicum cuſtodiri diem
Per quatuor anni tempora jejunium ſervari
Donaque & Sacrificia
Pro mortuis offerri.
Denique argumento ad Hominem
In Chriſto ut probetur Deus.
Cruentas per clades ſæpius traductus
Finem in pace excepit.

Notæ.

DE hoc Britio agunt, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ die 9. Septembris, verbis his: *Apud Spoletum S. Britii Epiſcopi, cujus Eccleſiæ Spoletinæ Epiſcopus fuiſſe traditur.* Item antiqua documenta Eccleſiarum Spoletanæ, & Fulginatenſis; prioris Kalendarium ad præfatam diem de eo ſic enunciat: *Apud Spoletum S. Britii Epiſcopi, & Confeſſoris, duplex.* Et in utriuſque Epiſcopii aula majori inter cœteros Præſules extat depictus Britius iſte cum ſubjecto lemmate apud Spoletanos: *S. Britius primus Archiepiſcopus Spoleti*: Fulginates verò de eo ſic ſubſcripſere: *S. Britius Hieroſolymitanus ſuccedit ſocio in Epiſcopatu ann. 93.* Et adnotandum obiter hic eſt: non ex eo, quòd in Aula Spoletana S. Britius attituletur Archiepiſcopus, ut ſunt, qui contendunt, ipſum ſuſtinuiſſe Metropoliticum

ticum jus in Umbros è ſede Spoletana, & Spoletanam Cathedram aliquandiù fuiſſe totius Umbriæ Metropolim; ea conjectura ducti; quòd S. Britius plures apud Umbros inſtituerit Epiſcopatus, & in his Epiſcopos ordinaverit. Hoc equidem non Metropolitica ordinaria poteſtate, ſed ſpeciali, perſonalique delegatione ab Apoſtolorum Principe Petro ſibi conceſſa: ut iis temporibus ad incrementum fidei, & ad fidei paſcua ducendum novellas Chriſti oves pluriès ab ipſo Petro, & proximè ſuccedentibus Romanis Pontificibus perbellè, & ad tempus proviſum fuit. Atque conſtans ea veritas eſt, & circa ſacram Eccleſiæ œconomiam; Italiam omnem inſpexiſſe Romanos Pontifices primævis iis temporibus non ſolùm Maximo generali Pontificio, ſed ut propriam Provinciam ſpeciali Archiepiſcopi jure; et ſi quem alium rememorare fas eſt in Italiæ, ſeu confiniis, ſeu conterminis locis, is profectò fuit Aquilejenſis Archiepiſcopus, longiori poſt tempore Patriarcha dictus, & huic adde Mediolanenſem Archiantiſtitem. Antiquiori Eccleſiæ ævo unus reſonabat Cuſtodum Chriſtiani Gregis titulus, & is erat Epiſcopi, & in Eccleſiæ Epiſcoporum Conciliis, nullus obſervabatur ordo præferendi in ſeſſionibus, qui ampliori non unius Diœceſis, ſed alicujus Provinciæ cura fruebatur: quare in Bracarenſi (totius Galliciæ Metropoli Civitate) Concilio habito anno 563. proviſum fuit, quòdquiſque Epiſcoporum ratione antiquioris ordinationis præcederet, his tamen Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani præferrentur, ut ex ejuſdem actis habetur can.24. Quòd verò nomine Archiepiſcopi reſonet Britii Præſulatus, nil confert ad comprobandum Archiepiſcopale Metropoliticum jus. Siquidem non ſemper ad illud refertur ſublimior aliquis Pontificius titulus ſimplici Epiſcopali paſtoritia. Fuit olìm Eccleſiæ uſus indiſcriminatim Epiſcopos vocitare Summos Pontifices, ut pluribus oſtendit Baronius in notis ad diem 9. Aprilis, & recapitulat t.2. Annal. ad an.216. n.9., quod nunc reſervatum videtur Summo

E Pontifici

Digitized by Google

Pontifici Romano, & ſolus inter Pontifices Maximus dictus, qui & ſimpliciter Epiſcopus nomenclatur, ſed Antonomaſticè; ut idem advertit Bar.an.349. num.7., & olim Epiſcopi omnes dicebantur Papæ, quòd de ſolo Romano hodiè pronunciatur: ut ex eodem ann.165. t.2., & Archiepiſcopi denominationem communem fuiſſe obſervat ſimplici cuilibet Epiſcopo, qui Metropolitano non ſubiiceretur, Macrius in Hierolex. Verb. Archiep. quin immò, & ex vulgi abuſu Epiſcopos quoslibet Metropolitas olim fuiſſe nuncupatos. Sed de his fuiſiùs in noſtra Italia Sacra, quam ex noſtro Ughello excribimus, & jam prælo damus, retundentes plurium opiniones, qui nimio ſeducti Patriæ amore res ſuas, ſuoſque Lares plus æquo extollunt.

Fuit præterea alter Britius pari ſanctitate, & geſtorum fama apud Umbros illuſtris; ſed unius, alteriuſque acta adeo confuſa leguntur, ut unus, idemque alter accenſendus eſſet, niſi longeva intercapide temporis unum ab altero, quàm maximè diſcriminaſſet. Prior ſiquidem, de quo nunc agimus, miſſione ſibi facta cum ampliſſima poteſtate ab Apoſtolorum Principe Jeroſolymis in Italiam, Romamque venit, & ad umbros divertit, Evangelicum lumen ſuper ipſos effudit, Spoletum ſede Epiſcopali auxit, indeque jura ſuæ delegationis Umbris dixit, & pro Chriſti fide ſæviſſimo in agone contendens, in ſomno pacis quievit, ebulliente ſub Domitiano ſecunda perſecutione in Chriſtianos circa ann.97. die 9. Septembris. Poſterior Britius inter Umbros item fulſit fervore prædicationis Evangelicæ, & culmine Pontificiæ dignitatis, qui poſt ſæviſſimos pariter in odium fidei cruciatus cum aliquantulùm reſpiraſſet ad requiem Sanctorum advolavit die 9. Julii circa ann.350. Et ipſe annorum plenus, qui immani feritate ferocientem in Chriſti oves agnoverat, ſenſeratque Diocletianum. Hunc ipſum referunt Martulæ ordinatum Epiſcopum à S. Cajo Romano Pontifice. Martula, ſive Martana Urbs eſt in Umbria in finibus Tuderti ſui memoria

moria tantùm clara, eo in loco olim exurgens, qui nunc dicitur *S. Maria in Pantano*. Sublato Joanne per orbita Martyrii Eccleſiæ Spoletanæ Britius, ne periclitanti gregi in ea immaniſſima Diocletiani perſecutione extremi quid mali contingeret, annuente Romano Hierarcha, ſimul cum Martulana Spoletanam paſtoritiam geſſit, donec uſque Spoletanorum Pontificius decor à S. Silveſtro Papa S. Martiali delatus eſt. Joannes iſte Patruelis frater aſſeritur poſterioris Britii, qui à priori nedùm temporum prolixitate, ſed & natali ſolo diſcriminatur, cum antiquior Jeroſolymæ Civis, alter Antiochenus ſit Anaſtaſio piiſſimo parente, & æque nobili progenitus, quo ſuadente cum germano fratre Eutitio, & novem patruelibus, ſpretis mundi illecebris, & Imperatorum contra Chriſti confeſſores edictis, Romam ad ſacra Limina, ubi pro Jeſu honore vitam profunderent, advenerunt omnes. Cajus Pontifex Divini amoris incendio ignitos coram ſe genuflexos contemplatus advenas ad inſtar Apoſtolorum duodenarii numeri clericali militiæ eos omnes adſcripſit, uno excepto Anaſtaſio ad decrepitam ætatem jam vergente, eiſque prædicandi Evangelium poteſtatem fecit. Sed jam furente Juliano Apoſtata, Anaſtaſius ad Aquas Salvias tertio ab Urbe lapide ductus ardens martyrii deſiderium implevit die quinta Decembris, cujus meminit Martyrologium Rom., & Baron. in notis ad eam diem, ſed locus reticetur. Filii, & ex fratre nepotes Roma abſceſſerunt, quos inter Britius Pontificio chriſmate delinitus Martulæ conſedit, Joannes eodem ordinante Cajo Papa Spoletanis Divinum jus dixit; ex iiſdem Proculus Interamnenſibus præfuit. Duos igitur Britios ſtatuendos eſſe exiſtimamus, tum ex antiquis Spoletinæ, & Fulginatenſis Eccleſiarum tabulis, tum ex antiqua traditione, & uſu utriuſque celebrandi anniverſariam memoriam. Quòd autem horum acta adeo invicem confundantur, ut ex his unius, alteriuſve geſtorum veritas haud facile indagari poſſit, ipſe Baronius in notis Martyrolog. ad diem 9. Julii

Digitized by Google

cum de ſecundo Britio agit, ipſa jam ferè præterit, inquiens, *qualiacumquè ſint*. Et in notis ad decimam diem Decembris cum recolit ſolemnia SS.Martyrum Abundii,& Carpophori, horum acta admodùm depravata deplorat: qui tamen ex antiquis documentis Spoletanæ Eccleſiæ ex eo glorioſo agmine, adeoque generoſo aſſeruntur ſtipite, qui cum nuper laudato Anaſtaſio Antiochia Romam appulerunt. Junioris Britii, ſeniorisque vitam deſcripſit Jacobillus to.1. de Vitis SS. Umbriæ, cui plures adſtipulantur magni nominis Scriptores. Et ex his rem enucleat Eccleſiaſticæ hiſtoriæ peritiſſimus Aloyſius Lippomanus Veronenſium Epiſcopus, qui in iis, quæ excripſit ſex voluminibus de Vitis Sanctorum ſeniorem Hieroſolymitanum, & juniorem Antiochenum Britium firmiſſimè commemorat. Utrique plura erecta ſunt templa in Umbria, & alteruter proprium locum tumuli habet; antiquioris oſſa conquieſcunt in Eccleſia S. Petri prope Spoletum ſub Principe ejuſdem ara, quo in loco pia religione jam primùm à Fidelibus terræ commendata fuere, & quotannis celebri feſtivitate excoluntur die nona Septembris ſub ritu duplici in univerſa Spoletina Diæceſi, Recentioris verò Britii devotiſſimè ſecuto obitu circa annum 350. die nona Julii ſacri Cineres in ea S. Mariæ in Saluſtiano reconditi ſunt Eccleſia, quam ipſe in Deiparæ honorem excitaverat tribus ſecus milliaribus ab Urbe Spoleti, & quæ ab ejus nomine deinceps cum ſuperextructo Oppido S. Britii nomenclationem accepit; ibique occurrente ſingulis annis memoriali obitus die feſtum ſolemne in ejuſdem honorem celebratur. Sed & quatuor anni tempora, & Dominicum diem ſervari, & oblationes pro fidelibus defunctis offerri cum ex traditione Apoſtolica commendatum habeamus, & ſenior Britius id quippe ſuis ovibus obſervandum impoſuit.

S. LEVIANUS FULGINAS,

Confeſſor S. Conſtantii Peruſini Epiſcopi, & Martyris Fulginatis, ſacri Corporis reconditor.

ELOGIUM VI.

Nec levi putes inter Fulginii Fulgores
LEVIANUM *carmine dignum*
Qui
Nactus præceptores primos in Umbris
Evangelii Præcones
Alacer Chriſti miles acer in hoſtes
In fidei caſtris adſcribitur
Et certans ingenio inter ſævas
Dæmonum turbas
Gravi ſubduxit imperio
Seductos mortales
Et ſuavi ſubjecit Chriſtiadum jugo.
Æſtuat pectore fervido
Suo irriguo ſanguine
Meſſem exhilarare Evangelicam
Donec triumphali Cruce

Procul

Digitized by Google

Procul ejectis Ethnicis
Fulginium Fulgeat.
Plura quæ inter de Leviano
Memorare geſtiret elogium
Haud obſcuro atramento
Ea clareſcant geſta
Quòd
Divino delectus conſilio
Angelo Duce
CONSTANTII
Fulginatis Martyris Peruſiæque Pontificis
Cruentum Corpus
Irradiatum fulgore cæleſti
Dum ei cælitum lumina pæana canunt
Suſtulit humeris
Et fœda ceu rabie Luporum
Tuetur ab impiis
Quos & in agnos converſos
Chriſti coacervavit ovili
Atque Conſtantii Paſtoris feretro
Colla ſubmittere juſſit.
O mirandum pietatis opus!
Qui funeris lucem fœdare cupierunt
Oculorum deperdito lumine
Lethale nefas deteſtantes
Novam in lucem rediere

Tanti

Digitized by Google

Tanti operis
Coadjutores facti.
Pietas hæc in Conſtantiũ Conſtantiique loculum
Conſtanter fecit
Seu blandientem mundum ſeu ferocientem
Premere.
Viros ſi noſſe vis quos ſibi ſuppares
Levianus genuit
MICHAEL JOANNES EUSEBIUS NICOLAUS
Hos ad Divini Agni Epulas
Duxit ceu Martyres
Paſſura voluntas
Non diſſimilem Martyribus
Qui duxere vitam
Jejuniis Vigiliis flagris
Precibuſque aſſiduis.

Notæ.

CUM S. Conſtantius Patritius, & Paſtor Peruſinus gravioribus diſciplinis ad normam Chriſtianæ pietatis primùm à nobiliſſimis ſuis Genitoribus inſtructus, dein Clericali militiæ adſcriptus à S.Herculano Peruſinorum Pontifice, eoque magiſtro plurimùm cum profeciſſet in caſtris Eccleſiæ, demùm eidem per Martyrium ſublato, Clero, & fideli populo acclamante ſucceſſor datus eſt, Summo Pontifice

ſice S. Pio Primo circa ann. 164. Gentis ſuæ hæreditariis opibus in pauperes diſperſis, prædicatione, vitæ exemplis, & ingentibus patratis miraculis pluribus in locis cum propemodùm gentilitatem evertiſſet ad Trivium Fulginatem poſt plura tormenta capite obtruncatus eſt die 29. Januarii an.175. ætatis ſuæ 41. Relictum feris Corpus illicò ab Angelo tutelari ſemel, iterumque pulſatus per viſum inde elevari, & ad tumulum deferri didicit Levianus humilis Fulginas, Vir ſimplex, & rectus, & conſtanti animo coram Deo ambulans. Aſt dicto obtemperans inter noctis tenebras cœlitùs præſignato inferendum tumulo dum extincti Præſulis corpus quæritat, luce ſuperna circumfuſum conſpicit, & quàm ſit pretioſa mors Sanctorum, ab Angelorum ibi pſallentium turba intelligit: ſubire onus jubetur, & abire cum ea defuncti ſarcina in viam lucis, quæ inter pietatis opera eſt, mortuos ſepelire: ſed vix greſſum movet, cum in impios incidit quatuor tenebrarum Principis ſatellites, qui dum theſauro ex agro ſublato vim facere audent, inviſibili ſauciantur vulnere, & ex vulnere cæci facti dedecora ſua deflent, & deprecante Conſtantii ſpiritum pro iis Leviano, ad lumen mentis, & oculorum veniunt, & ipſi facti ſpectaculum Chriſtianæ pietatis ſimul cum Leviano ſuccumbunt oneri, bajulantque ad ſepulchrum propè Peruſina mœnia, ubi manſiuncula extructa anachoreſim duxerunt ſimul omnes uſque ad obitum. Conſtantio ſuperſtitum virtutes ſuere in convertendis ad Chriſtum Ethnicis, & cum jugi compunctione, & vitæ auſteritate comprobare omnibus, Chriſtiadum ritum, Angelicam eſſe vivendi normam. Deque his hoc mirandum aſſeritur; quòd inter ſæviſſimas contra fideles perſecutiones impunè conteſtantes omnibus Chriſti Divinitatem in pace quieverunt. Ubi ſepulchrum effoderant Conſtantio, & eorum ſunt recondita Corpora, ibidem poſtmodùm fidelium pietas perhonorificum Templum excitavit de nomine Conſtantii Peruſinorum Patroni, & eadem Urna excepit cum Conſtantio S. Leviani,

viani, & quatuor Illuminatorum ſacra oſſa. Acceſſit deinde peculiaris cura Alexii Presbyteri in exornando ſub ara majori Conſtantii loculo an. 1205., & in cujus extremi agonis loco etiam Fulginates de ejus pariter nuncupatione Eccleſiam ſubſtruxerunt, quæ poſtea an. 1527. bellorum ingraveſcente procella demolita fuit. De Conſtantio, & Leviano Ughellus noſter tomo 1. Ital. Sac. in Fulginatibus nu.3. & Peruſinis nu.2. ubi varii Scriptores adducuntur, qui de his Sanctis Elogia retexerunt, qui licet non eodem anno, ſeu una, eademque die promeritas laborum coronas in æternæ vitæ conſortio perceperint; eorum tamen, qui Leviano per inſigne miraculum reſtitutæ illuminationis oculorum viſum Evangelicæ lucis etiam ſortiti ſunt, adhæſerunt, communeque cum ipſo hoſpitium carnis cum ſpe ſimul inde tranſvolandi ad patriam cœleſtem obtinuere, pares quoque ſimul honores aſſequerentur.

Verùm in his tempus demigrationis invertitur. Ughellus ſiquidem inter Fulginates loco ſuperiùs allegato Conſtantium martyrio coronatum dicit an.175. ſub Cariſio Præfecto, & M. Aurelio Antonino Imp. ſubinde cum de Conſtantio in ſerie Peruſinorum agit id eveniſſe ſcripſit ann.145, & ad hunc annum propiùs accedit, Felicis Ciatti ex Ordine Minorum Conventualium ſatis eruditi Scriptoris ſententiam ſecutus in hiſt. Peruſ., & adducitur à Jacobillo t.1.SS.Umb. ad diem 29.Jan. atque vice anni 145.ibi edicitur annus 154. Et quippe ſi Conſtantium S.Herculani Peruſinorum primi Epiſcopi alumnum aſſerimus, ut ejus Eccleſiæ tabulæ firmiſſimè teſtantur, cum S. Herculanus perſecutione deſæviente ſublatus fuerit anno circiter ſalutari 90.& ipſi datus ſucceſſor fuerit Conſtantius, æquior eſt ſententia, quæ Conſtantii Præſulatum non protrahit in adeo prolixiora tempora, ad annum videlicet uſque 175. quo anno, qui eum ex his humanis ereptum fuiſſe opinantur, ætatis annum percurriſſe etiam tradunt quadrageſimum primum, & Peruſini Pontifi-

catus circiter undecimum. Quòd ſi Herculanus primus Peruſiæ ordinatus Epiſcopus impetrata miſſione ab Apoſtolo Petro, cujus magiſterio in fide edoctus, Romam venit cum Britio Umbrorum deinde Apoſtolo, aliiſque ſociis, & cum ab anno Dominici natalis 57. ſive 58. uſque ad 93. plurimùm inſudaſſet in regimine ſibi commiſſi gregis, quo lancea tranſverberatus curam ovilis tranſmiſit in Conſtantium, inveriſimile ſatis videtur Conſtantium protraxiſſe vitam uſque ad annum 175. Et ipſe Jacobillus cum de Herculano agit tomo primo pagina mihi 679. his certè conſentit, qui in Conſtantio aliter dictaverat. Quæ verò Baronius incerto calamo in notis Martyrologii ad diem 7. Novembris de Herculano, deque ejus in ſede Peruſina ſcripſerat, enucleat noſter Ughellus in Peruſinorum Catalago, cum ſecundo ſeu juniori Herculano pariter Martyre ſeniorem hunc primum præponit Baronio, qui tunc temporis latebat.

Nobilibus ex Anglia atavis dictis ex inſula Albionia de Albioniis Conſtantium ortum duxiſſe apud Peruſinos tradit laudatus Ciattus, dein nuncupata de Barzis familia, quæ Peruſiæ, Eugubii, & apud Picenos in Oppido S. Conſtantfi nomen ſuum protendit: pariterque narrat demortui Conſtantii germanum fratrem in Angliam ad gentis ſuæ originis locum remeaſſe, ibique titulum in Martyris Conſtantii honorem excitaſſe.

S. J O A N N E S

Anachoreta, & Martyr Fulginas.

E L O G I U M VII.

Gemmeis Martyrii fulgoribus
Fulgineo Natali.

Coro-

Coronatorum primum
Intuere JOANNEM
Sole digna circumnectendum corona
Apoſtolici jubaris ſi intueberis in eo
Coruſcantes Virtutes.
Proſcriptæ Chriſti Fidei
Sub irato Judice nomen tenuit
ac
Fulgorem cum tenebris commutare neſcius
Non expavit
Seu tormenta ſeu cædes
Seu mortis ſupplicia teterrima
Et ne à luce ſua excederet
Arctiſſimis nexibus Anachoreticæ diſciplinæ
Se devinxit
Ut teſtimonio fidei probatus
Inveniretur
Circumiens in melotis in pellibus caprinis
Egens anguſtiatus afflictus
In ſolitudinibus errans
In Montibus in Speluncis in Cavernis terræ
Hoc implens quod antea edixerat
Paulus Heb. c. 11.
Quid ultra ?
Undique tutus
Per omnia tentatus

Perennis veri luminis fonte
Dignus inventus.
Tandem in occiſione gladii
Sub tegmine mortis
æternæ vitæ
Adeptus eſt repromiſſiones.

Notæ.

DUM maledictis, & atrociſſimis tormentis exagitabatur ab Idolorum cultoribus Chriſti fides, utroque Chriſtiano parente natus eſt Fulginii Joannes ſalutari anno 121. & Fidem, quam genitores à SS. hauſerant Britio, & Chriſpolito Principis Apoſtolorum diſcipulis, ipſe ea divinorum præceptorum obſervantia excoluit, ut ſuo doceret exemplo, qualem vitam protrahere deberent, qui abjecto gentium ritu Evangelicæ militiæ nomen darent. In ſancta educatione humanis, diviniſque literis perluſtratis ſoli Deo adhærere cupiens patriam, & parentes liquit, ſoluſque ſeceſſit in abditam ſolitudinem regionis Marſorum ad lacum Fucinum, ſecus Cœlani oppidum, ubi extructo in honorem Evangeliſtæ Joannis tuguriolo, in eo arctiſſimam anachoreſim incępit. Hic aſſiduis cœleſtium contemplationibus, jejuniis, precibus, variiſq; corporis afflictationibus membra contra dæmones ad luctam durare docuit, animumque adverſus vitia robuſtiſſimū fecit. Nec adeo rem ſeorſum egit, quin, & aliis ſubſidium eſſet, & periclitantibus opem ferret. Errorem igitur idololatricæ ſuperſtitionis à vanis cultoribus excutere cupiēs Verbi Divini prędicatione, & Evangelicis documentis innumeros Chriſto acquiſivit, & acquiſitos ad Chri-

ſtianæ

ſtianæ perfectionis apicem perduxit;Hinc plures,qui in fidem venerant, obnixè orans, ejus magiſterii diſcipulos fieri, quos inter haud exigui numeri voti computes factos, recenſentur præclari Anachoretæ Benignus, & Cœleſtinus, qui ejuſdem geſta ſcriptis ſuis poſteris commendarunt, uti proditum habetur ex antiquis monimentis Eccleſiæ Marſorum. Dum hac teneretur cœleſtis vitæ ratione Joannes, contigit Imperatorem M. Aurelium Antoninum ad Marſos divertiſſe, æſtivi temporis ut nimiùm feroces declinaret calores, cujus milites per montes, ſilvaſque venatu euntes, & magis quàm in feras,in Chriſti Confeſſores ſævientes,terrore perculſos fideles ad latebras quamplurimos, qui confugerant, & in montium, nemorumque abditis latitabant, detegerunt, & loco prædæ ad Imperatorem ducti, qui victimas diis offerre abnuebant crudeliſſimè trucidati ſunt. In his martyrio coronati fuere noſtri Joannis amiciſſimi tres viri, virtute cum eodem pares Victor, Joannes, Stephanus: horum corpora beſtiarum voracitati inhumata relicta in ipſo occiſionis loco, milliario circiter à ſacro Joannis ſpecu,ipſe, cęleſti lumine duce, noctu ſuſtulit, & honorificentiori tumulo,prout ea ferebant tempora, condidit. Sed cum cædes ubiqne, & immania tormenta in fidei profeſſores exercerentur, inchoatæ ſolitudinis delicium Joannes ut proſequeretur, abditiores receſſus quæſivit, invenitque in ejuſdem regionis monte aſperrimo, ubi oratoriolo extructo, annum abſumpſit, ſolitudinis tædium mitiſſima immanium ferarum converſatione aliquando leniendo. Sed ne opus ſuum proximorum impervium caritati eſſet, repedavit ad Eremum, unde abſceſſerat: Verùm, & hinc iterùm abire cogitur, cum gentiles ſæviori ſemper impetu in Chriſti cultores irrumperent. Quare ſecum ſuis aſſumptis alumnis, qui orationum, & cęleſtium meditationum aſſiduitate animum in pace ſolitudinis excolere cupiebant,in Apuliam greſſum inivit, & in Adriatici maris ſinu è regione Gargani Montis Diomedeas deſertas inſulas contemplatus,

illùc

Digitized by Google

illùc ſe contulit, Teucriamque ex his de nomine appellatam inhabitavit, quàm deinde Fidelium religio meliori omine Myrenſi Nicolao ſacram fecit. Hìc ex alto ſeſſionem expoſcens præclaram impetravit à Virginum Virgine Maria, cujus in honorem propriis manibus ſacram ibi excitavit ædiculam. Has inter rupes, inſularumque latebras non temnendum auri pondus latebat, cujus nec memoria extabat, nec quis unquã ejus Dominus fuerit ad poſteros conjectura erat. Dei Mater, quæ & rerum Domina eſt, magnificis in ſui honorem rebus expendi volens, clara majeſtatis ſuæ apparitione illud Joanni huic Eremicolæ indicavit: quì ut illud detexit, conducto navigio Bizantium abiit, honuſtumque rebus ad magnum opus perficiendum retulit, opificeſque adhibuit, quorum ingenio Virgini Deiparæ in cęlum Aſſumptæ Templum ſtatuit, deletumque ex eo fanum illud, quòd Diomedi Ætoliæ Regi vana ibi gentium religio olim poſuerat, cum ipſe diſparuit (ut Græci affabulantur) ejuſque ſocii ob dolorem in illas aves converſi ſunt, quas Diomedeas vocitarunt, & uſque nunc præruptos ſcopulos ejus loci incolentes, vulgò nuncupatæ *Artene*, Solis fulgores, dùm ſuſtinere non valent, noctù frequentiùs quamdiù volitantes, voces emittunt infantium vagitui ſimiles, corpore grandes ſunt, albedine cycnis pares, roſtro tamen, & unguibus feroces; earum pinguedo vulneribus, doloribuſque ex frigido humore hominum contractis membris ſaluberrima eſt, inimica ſi ex venerea lue tabes cauſetur. Poſtmodum hæc inſula ab Joannis erecta Baſilica S. Mariæ vocatur, & Tremetum vocat Tacitus, cum ſcribit ibi 20. annis exilium toleraſſe Juliam Auguſti neptem, ideo quia adulterii convicta fuiſſet. Verùm tres enumerantur inſulæ iſtæ; videlicet Carizzo, & Cappara; Maxima ea eſt S. Mariæ Tremitis dicta: ad hanc ab ipſo extructæ Marianæ Eccleſiæ exordio frequentior populorum concurſus, opes tàm ingentes obtulit; accedentibus deinde magnorum principum elargitionibus, ut poſt Anachoretas, & Sacerdotes,

quos

Digitized by Google

quos ibi inſtituerat Joannes, inſtaurato magnificentiùs Templo, & ampliſſimo extructo cœnobio cum mero,& mixto imperio ceſſerit locus S. Benedicti nigri coloris Monachis ſub præcipuo moderamine Abbatis Montis Caſini, ut de his agimus in noſtro Italiæ Sacræ poſt Ughellum opere,ubi de Caſino verba reteximus, amotis deinde nigris,Ciſtercienſes ſubrogati fuere, qui receſſerunt commendatariorum incommodis advenientibus: modò Canonici Regulares Lateranenſes inibi egregiè divina perſolvunt, & præſidio militari Regni Neapolitani Regii Dynaſtæ hæc Inſula munitur.

Joannes verò has inter confragroſas rupes ſibi abripi ſolitudinis quietem agnoſcens, ad ſe concurrentium frequentiam ob evulgatam ſanctitatis ſuæ famam præcipuè deteſtatus, loco ceſſit, Romanumque arripuit iter ad ſacra Apoſtolorum limina,aſſumptis ſecum itineris ſociis Benigno,& Cœleſtino ſui magiſterii alumnis, virtutumque æmulis: Sacris conſalutatis Principis Urbis,in Reatinum campum Sabinenſis regionis ſeceſſit, in cujus abditis ſibi conſtructa manſiuncula Benignum,& Cœleſtinum ad ſacram propè cælanum in Marſis ædiculam, quàm de ſuo nomine S.Joanni Evangeliſtæ dicaverat, redire juſſit, ubi ſe priùs captivum fecerat Chriſto in aſceticæ vitæ greſſibus. At ipſe nonniſi in exceſſum caritatis vivendi metam pertingere exoptans, cum intellexiſſet augeri in dies tyrannorum rabiem in Chriſti fideles, proſilivit in medium, & prædicationis armis dæmonis imperium dùm evertere ſtudet, cœleſte ſibi invenit per orbita martyrii die 11. Januarii an. ſulutari 174. Beati Viri cadaver pia fidelium turba devotiſſimè ſepelivit in ſacra ejus eremi ædicula, quàm ipſe extremis vitæ obſequiis decoraverat, miraculorum gratia à Deo ſæpiſſimè illuſtratus.Diſparverunt inde SanctiMartyris Reliquiæ,& apud Reatinos aſſervari fama eſt. Habetur in albo Sanctorũ à Ferrario ad diem 17.Septembris, ad præfatam diem Januarii reiicitur à Jacobillo. Vitam ab ejus diſcipulis deſcriptam aſſervat Codex m.s. Eccleſiæ S.Io:

Evan-

Evangeliſtæ Cælani, de eodem monimenta Eccleſiæ Marſorum, Mutius Febonius de SS. Marſorum, & Benedictus Cocarella in Chron. Trimitis.

S. FELICIANUS
Epiſcopus Fulginas, & Martyr.
ELOGIUM VIII.

Legite attendite obſtupeſcite.
Fulginii fulgore
Colluceſcere contendit tenebrarum Princeps
Victus olim nimia dementatus Luce.
Cecidit Lucifer ab alta Lucis Æde
Divino vibrante fulgore
Tenebrifer factus.
Fugienda petit
Fulgore Lumine Luce
Dum periit.
Aſt artificium Dæmonis eſt
Sulphureis flammis clarum eliminare Lumen.
Non ſemel gemuit dejectus
Fulmine cœlitum Fulgore Fulginii
Cœlum temerè obnubilat
Et infando auſu cœlitum Authori
Hono-

Digitized by Google

Honorem quem rapit
Aſtris imponit
Sidereoque ſerto
Per ſcelus perque nefas
Maculoſum caput obtegit.
Sic Cœli militiam
Quæ Sole micante regitur
In malitiam mutavit Orci.
Lumen redonavit UMBRIS
Lux vera quæ de Cœlo eſt
In tenebris Lucens.
Torquetur Sathan
Et in ſede eadem Fulgoris
Cum Deo conſiſtere cupiens
Ad ſcelus immane furoremque
Converſus
Idololatrici cultus jam ferè perditas
Reliquias inſtaurat
Et grave jugum durumque frænum
Mortalibus ægris imponit iterum.
Tam atro vitiari piaculo
Umbros ſuos non patitur Deus
Quos eſſe quam Fulgentiſſimos vult.
In Juſtitiæ ſplendorem
Vocat denuò
Et tenebricoſo Dæmoniaco agmini

Qui formidinem faciat fugamque feſtinet
Deligitur FELICIANUS
E ſede ſacra Fulginii
Novus Umbrorum Apoſtolus
Victor incedit
Et dum pellit ex Aris ſceleſtia Numina
Cœleſtium vindicato culmine
Feliciſſimum triumphum inſtruit
Sanctuarium in quo Deus perpetuò quieſcat
Statuit Baptiſtæ nomine
Qui teſtimonium perhibuit de Lumine
Suoque dein per orbita Martyrii
Inſigne facit.
Fulginei ſoli cœleſtis Arcus
Sempiterni fœderis ſignum
Inter Deum ſuamque Fulgineam plebem
Verſi color varietate Lucis
Lucidas ferens Virtutum gemmas
Optimo Felicitatis omine
Tutelare Numen
Pater Patriæ
Pharos accenſa
Toti rutilans Umbriæ
Proſpero pietatis ſucceſſu
A FULGINATIBUS COLITUR.

Notæ

Digitized by Google

Notæ.

FELICIANUS majorum ſplendore Fulginas, nobilibus, iiſque Chriſtianis parentibus, apud Forum Flaminii editus anno ſalutari 159. ad rigidiorem Chriſtianæ inſtitutionis formam educatus, Romam miſſus eſt, ubi literis, & ſanctitate dum clareſceret à S. Eleutherio Papa excipitur, & ſacræ adſcriptus militiæ ſacerdotio initiatur, & pro gravioribus expediendis Summi Pontificatus negotiis inter præcipuos ſuos familiares adhibetur. Sed cum reguſtandæ Patriæ pia quadam cupidine urgeretur, Eleutherio annuente, Forum Flaminii rediit, fortunavitque locum, cœleſtis doctrinæ fulgoribus ſuos Concives, & conterminos populos è captivitate Principis tenebrarum eruens. Conſalutatus deinde eſt à Clero, & populo Fulginas Epiſcopus, quem honoris gradum probavit Victor Papa, tantumque virum ſuis ipſe manibus ſacra unctione, Pontificio diademate, & pallio decoravit, cum ampliſſima poteſtate apud Umbros inſtituendi Clericos, Sacerdotes, Epiſcopos, conſecrandique Eccleſias. Et hic præcipuè notandum, non ideo, quia Pallii honor cum præfata in Umbros facultate conceditur Fulginatenſi Feliciano, ideo Umbriæ Metropolita, ſive Archiepiſcopus in ſede Fulginii cēſendus eſt, uti de Britio vaniſſimè contendunt Spoletani, ad hæc enim jura proceſſit non ordinaria, ſed Romani Pontificis ſpeciali delegata, eaque perſonali facultate, ut illa temporum neceſſitas expoſcebat: quod & itidem factum de Britio ab Apoſtolo Petro accinendū eſt. Nec fecit ſatis Umbrorum ambitus Feliciani Apoſtolicæ Legationi, in alias quippe regiones hæc protenſa eſt: cum enim ex inferis ſuperbiens repedaſſet ad ea loca idololatricus cultus, unde abſceſſerat veritatis Evangelicæ Sole exoriente, Verbi divini majeſtate, veluti è Cęlo immiſſa fulminum acie exterruit, & profligavit Felicianus jam fermè Univerſæ

Italiæ Novus inſurgens Apoſtolus. Cum denique agnoviſſet ferocientem in Chriſtianos Imperatorem Decium per Fulginatium Urbem Romam ſecum trahentem nobiliſſimos Abdon, & Sennen uti agnos ad Aras in odium fidei, acceſſit ad Chriſti Confeſſores, ut eos ſolaretur: à perfidis detentus, & dirè laceratus in extrema ſenectute, velut aquila juventutem renovavit in perpetua Sanctorum Luce die 24. Januarii an. 254. Et hoc mirificum in eo eſt; quòd cum in tantis laboribus vitam traduxerit, & in ſumma auſteritate, pluſquam ſenex, haud validiſſimis fractus ærumnarum aſperitatibus, vitam lætus ducebat, oculatiſſimus in paſtorali cura, horribilis contra dæmonum frequentiores inſultus; celebratiſſimus apud omnes, apud quos pertranſiit benefaciendo; tandem Fulginates ſuos ſanguine effuſo cum purpuraſſet, ab iiſdem pro parente optimo, & patrono maximo deinceps habitus eſt. Plurimis intra fines Italiæ Provinciis de multis ſacris ædificiis à ſe erectis benemeritus, Interamnenſibus S. Valentinum, Peruſinis SS. Florentium, & Decentium ordinavit: quòd & facilè contigit ceſſante aliquantulùm procella perſecutionum Philippo Arabo Romanum cum Chriſti confeſſione moderante Imperium una ſimul cum Philippo filio æquè Imperatore, & fidei inſignibus decorato. In exordiis ſui præſulatus Palladis fanum, ubi litabat ſuperſtioſa Fulginatenſium gentilitas, expurgavit, & Chriſti Præcurſori ſacrum fecit, ampliavitque, proximo attributo prædiolo, quòd de paternis bonis ſui juris erat, aliamque ſuperædificavit Baptiſtæ pariter in honorem Baſilicam, quàm voluit eſſe pro ſe, & ſucceſſoribus Epiſcopalem ſedem, & ubi proprium ſepeliendum Corpus ſtatuit, uti evenit ſolemni ritu adveniente Clero, & Chriſtiana plebe: ſed excreſcentibus crebris miraculis ad Sancti Pontificis, Martyriſque tumulum, factum eſt, ut e Baptiſtę in Felicianum mutarit nomen illud Cathedrale Templum, Palatinum etiam nancupatum, ubi conquieſcunt etiam ſacri Cineres S. Florentii clariſſimi Anacoritæ, cujus infra

Elogium

Digitized by Google

Elogium reteximus, quem una cum Baptiſta Joanne, & Feliciano, uti præcipuum Tutelarem venerantur Fulginates. Eo in loco, ubi Felicianus graviſſima ætate confectus acerbiſſimos cruciatus mirantibus omnibus ſuſtinuit per quàm conſtantiſſimè, & extrema clauſit propè Fulginium, plebs ipſi fidelis de ejus nomine Eccleſiam erexit, quæ S. Feliciani in Mormone vocitatur. Tanti inter oves Paſtoris virtus eſt eximiè probata Meſſalinæ Virginis, quæ tyrannico ſpreto Decii Imperatoris edicto, Carceri incluſo Feliciano, famæ ne periret, alimenta ſuppeditavit, & pro mercede glorioſam in Martyrum choris coronam accepit. Sancti hujus plures gloriantur ſacris exuviis, tanquam ditiſſimo theſauro gaudere. Commendatum ſiquidem habemus, ut Baronius indicat ad S. Feliciani diem 24. Jan. in notis Mart. delatas fuiſſe in Metenſem Civitatem Galliæ à Theodorico Metenſi Epiſcopo nomine Magni Othonis Imperatoris Oratore apud Joannem XIII. Papam, dum Roma Fulginium tranſiens ad ſuam ſedem reverteretur, qui ſecum etiam detulit de Martyrum Oſſibus Carpofori, & Abundii, eamque ferream catenam, qua Felicianus vinctus obſtringebatur. Noviſſimè ſacra in ſumma Fulginatium ęde lucidius, ut fulgeret par felix cum patrocinio Feliciani omen, maximam Templi aram elegantiſſimæ formæ ſtructura exornavit, tùm propria, tùm majorum pietate inſignis Fulginas Patritius Dionyſius Roſciolus. Hic Bartholomæo genitore natus germanos fratres habuit Joannem Mariam, primum Lateranenſis, deinde Vaticanæ Baſilicæ Canonicum, & Maximæ Pontificiæ Aræ Altariſtam, Urbani Papæ Octavi Pincernam, & ſubinde Pontificii cubiculi Præfectum; nec non Vincentium, qui in conjugem duxit Ludovicam prænobilem de Eliſeis Viraginem Vincentii filiam, & fato ſurripiente ſine prole abiiſſet è vivis, Dionyſius ſuperſtes hæreditarias opes quodlibet pietatis in opus impendens, præcipuumquè cultum Fulginatium Numinibus augere cupiens, ingenti, præfulgidaque mole inſignivit,

vit, omnibus eam quæ præeſt pro Sancta Sanctorum ſacris aris Felicianæ Baſilicæ,ſtravitque ornatum,& proſpiciendum ſimilem illi erexit, qui Romano circum Petri Apoſtolorum Principis ſepulchro aſſurgit. His addidit ſuppellectilem pro ſacris expediendis pretioſam: Et ex ea ut loci ſanctitate Divinam pulſaret miſericordiam ad perpetuam Patriæ felicitatem, tres inibi Capellanias inſtituit attributo ſingulis cenſu in eleemoſinam quotidiani ſacrificii, & de certo jure patronatus eſſe voluit. Nec ſatis Dionyſium piiſſima depluiſſe beneficia in Felicianum Templum: eo demortuo, Joſeph Salvius Patritius Fulginas, noviſſimus de Rocciolis inſtitutus hæres, ex his humanis decedens, & ipſe opum reſupinata Urna in S. Feliciani ex earum annuo cenſu perficiundum opus, divinis ibidem deſervire honoribus, ſtatuit. Generoſas, pariterque religioſas inter operas hujus Baſilicæ extat Sacellum Marchionum de Eliſeis gemina luce præfulgens Mariæ Deiparæ, & Joſephi conjugali caſtiſſimo nexu ipſi devincto. Blandimentum hoc Anglicæ puritatis exprimit pennicillus Equitis Venturæ de Salimbene.Duo ejuſdem Eliſeæ gentis de Jurepatronatus Sacerdotia ſacram hanc Aram incruentis coronant Hoſtiis.

Sancti Martyres Fulginates

HERACLIUS, JUSTUS, MAURUS.

ELOGIUM IX.

Feliciano
Qui dederas plauſum

Felicius

Digitized by Google

Felicius reboa
Fulgori qui Triplex, è Feliciani pectore
Erumpens
Clariorem fert lucem Fulgineo Soli
HERACLIUS JUSTUS MAURUS
Nullus horum extra quemlibet eſt
Lucida in confeſſione
TRIN-UNI DEI
Sic Tribus eſt unum jus
AD PATREM LUMINUM
Velut perſonis propriis ſtat tribus
Unus Deitatis apex
Nullus altero potior fulget in Æthere
Genitus Genitor, & Flamen idem
Et unum ſunt.
MAURUS JUSTUS HERACLIUS
Eadem radiante fide
Fulgor idem
Opus & ordo militaris Unus
Et is
E caſtris Cæſaris demigrans
In Clauſtra Chriſti
Triumpho nobili cruento exitu
Triplici Bellatorum nexu
Triregnum Sanctorum capeſſit.
O felicem nimis Chriſtiadum ſortem!

Quæ

Digitized by Google

Quæ facit
Cum TRINO DEO *in unitate conſortes*
Sic Patrem exorante Chriſto
Fac ut ſint unum ſicut nos unum ſumus.

Notæ.

SUB annum Chriſti CCLIII. cum Decius Imperator perſecutionem crudeliſſimam in Chriſtianos acriùs Urgeret, Fulginio Romam abiturus, Feliciano Fulginatium Paſtore Sanctiſſimo jam ſublato, oves ejus omnes diſperdere ſatagens Heraclium, Juſtum, & Maurum militaris ordinis præclariſſimos Fulginates, eo quòd Feliciano Antiſtiti ad Chriſti cultum comprobandum in univerſa Umbrorum Provincia ardentiſſimè deſervire depræhenſi eſſent, Aurelio præfecto commiſit, quòd ſi recuſarent Idolis ſacrificare, gladio interimeret. Igitur conjecti in Vincula, & trium menſium tetri carceris cruciatu divexati non longè à Fulginio extra Portam Romanam abſciſſione capitis agonem ſuum gloriosè conſumarunt quarto nonas Maii: ibi in honorem eorundem fideles Eccleſiam condiderunt de nomine Heraclii nuncupatam, qui collegas ætate præibat, mox & oppidum acceſſit Heraclium (vulgò Ractio) dictum, & ex præcipuis eſt Fulginatis Territorii, veneraturque Heraclium tamquam præcipuum in divinis Patronum. Corpora SS. Martyrum tumulata fuiſſe in Cathedrali, & hodiedùm ibidem extare aſſerit Jacobillus, & univerſa Diœceſis eorundem celebritatem ſub ritu duplici recolit, de his Ferrarius in Catal. SS. Ital. abiique à Jacobillo allegati, & noſter Ughel. in Fulginatum ſerie n. 5.

S. MES-

Digitized by Google

S. MESSALINA Virgo, & Martyr Fulginas.

ELOGIUM X.

Minaciſſima tempeſtáte fremente
Pertinax dum ad clavum ſedet
Fulginatenſis Navigii
Felicianus Antiſtes
Tanto incumbens Argonautæ
MESSALINA VIRGO
Sanguineum trajecit fretum
Fide inconcuſſa
Et florentiſſimo Vigente Virgineo Vigore
Quòd nupſerit Chriſto
A Decio Tyranno
Pluſquam decies ſæviſſimo ſupplicio
Conteritur
Sic Meſſalineum nomen Empyrei
Invexit Aſtris
Quòd altera
Claudii Cæſaris cognatione claudicans
Infamia famoſa prodigioſæ Libidinis
Cum malè nupſit
Obſcurum tranſmiſit in Orcum.

Digitized by Google

Tuam igitur
Multiplici Virtutum ſerto
Diademaram Civem
Primam cum Virgineo candore
Martyrio rubentem
Obſequere Fulginium.

Notæ.

SANCTAM MESSALINAM Virginem Chriſtianam genere nobilem Fulginatem accuſant impii Decii Imperatoris tyrannidi, quòd S. Epiſcopi Feliciani eſſet Alumna, & eum fame abſumendum in vinculis aleret, quòd in carcere detentos fideles viſitans potenti adhortatione eos animaret ad martyrium, & multos adduceret ad Chriſtum, & quòd morte peremptorum corpora ſulpulchrali honore decoraret: idcircò Principis tenebrarum lenonibus variis Blanditiis pervertenda traditur, ſed jam conſtantiſſimè inanes Deos ridentem diriſſimè tortam coram ejus in Chriſto parente Epiſcopo Feliciano plumbatis tandem tandiù cedunt, donec læta obtinuit palmam Martyrii die 23. Januarii an.254. ſeu 253.quam premiſerat Felicianus diſcipulam,proximè inſecuta die, & ipſe attigit ſanguineum per callem abſumpto itinere. Prædefunctæ Corpus excepit Palatiniana Baſilica, quam paulo ante ſacraverat Felicianus in honorem Chriſti Præcurſoris, & deinceps de ejus nomine celebrem. Purpuratæ Virginis cultum magnificentiùs reſtituit in ſua Cathedrali Epiſcopus Porphirius an. 1612. ut teſtatur Ughel. Hujus geſta, & præclarum agonem plura vetuſta, & recentiora ſcripta enarrant. Natali ſolo exortus Joannes Ana-

Digitized by Google

Anacoreta, primus fuit inter Fulginates, qui Chriſto nomen dedit inter tormenta Carnificum, ſecunda Meſſalina illuxit Civis nata Fulginas. Iſidorus Clarius clariſſimum germen Benedictinæ Plantationis, & inde Epiſcopus Fulginas de ea agit in Vita S. Feliciani. Vitam deſcripſere Franciſcus Ciroccus, Bollandus, & Jacobillus. Deque eadem plura Monimenta manuſcripta, quæ à Jacobillo allegantur.

SS. CARPOPHORUS, ET ABUNDIUS
Martyres Fulginates.
ELOGIUM XI.

Sanguineum venerare ſolum
CARPOPHORI & ABUNDII
Sacratum per Vulnera Martyrum
Eodem ſpectatur uterque
Nobili Thalamo natus
Quos eadem fides eademque
In infidos hoſtes fidiſſima pugna
Verè fecit eſſe germanos
Una in utroque victrix gloria fuit
Et Palma Triumphi
Hoſtilis dum utrumque ferit

Chriſti inſecutor gladius.
Tellus hæc
Haud cruentis in poſterum debita præliis
Pacificam prodit
Numerandam cui cedit orcus Sideribus prolem
Benedicti dum Fulgida arma timet.
IN SAXO VIVO TUO
Fulginium hæc ſcribito.
Saxum quod explicat
Tantis Heroum inauguratum auſpiciis
Sua derivatam origine
SAXOVIVENSEM
Avitæ Monachalis Sanctitudinis
CONGREGATIONEM.

Notæ.

ANTIOCHIA Urbs præcipua Regionis Syriæ Apoſtolorum frequentia decorata, & quia ibi primùm ſedit Petrus, & in ea primùm fideles nominati ſunt Chriſtiani, meritò principatum aliquandiù ſuſtinuit totius Orientis Eccleſiarum. Hac in Urbe procreati ſunt nobilitate, opibus, & Evangelica luce clariſſima ſtirpe ex eodem genitore Carpophorus, & Abundius. Summa Deifici Apoſtolatus Arx Roma devotiſſimos traxit ad ſui venerationem hos Chriſti milites circa annum 290. quos coram ſe provolutos benigniſſimè excepit S. Cajus Papa, & ad Eccleſiaſticum de-

Digitized by Google

cus, fideique juvamen Carpophorum utpote provectiorem ætate ad Presbyteratum uſque ordinavit, Abundium verò in Diaconatu pro Evangelica prædicatione conſiſtere voluit, dimiſitque in opus injuncti miniſterii, qui in Umbriam venientes Concivi Britio Martanæ Epiſcopo apud Spoletum commoranti adhæſerunt, ibique ardentiſſimè cum Enunciarent Chriſti fidem, comprehenſi ſunt à Martiniano Præſide, ſeu Umbriæ Proconſule, ejuſdem juſſu in foro Arenario duobus tantùm milliariis à Fulginio procul poſt plurima tormenta capite plexi ſunt, quorum corpora Euſtochium piiſſima, & inter Fulginates nobilitate primaria fœmina in ſepulchro, quòd ſibi præparaverat in opaca ſpelunca apud Saxovivum Montem tertio milliario diſtantem à Fulginio, perhonorificè recondidit, Angelo de Cœlo ita ſuadente, quæ evenere die 10. Decembris anno 303. ex Jacobillo, ex Ughello 304. plura, quæ de his ſanctis Corporibus ſunt enuncianda, infra recitabimus, cum de Saxovivenſi Monaſterio agemus.

Horum Sanctorum Martyrum triumphum certum eſſe commendatum habemus ex plurimis antiquis monumentis. Romano, cæteriſque Martyrologiis, in eo tamen eorum acta confuſa leguntur, quòd alii S. Britio primo Spoletanorum Epiſcopo, Apoſtolique Petri diſcipulo eos adhæſiſſe ſcribunt, alii verò, quòd alteri S. Britio Martulanæ Civitatis Epiſcopo, qui & Spoletanos in ſpiritualibus coluit, in opere Evangelico adjumento fuerint in omnium graviſſima Eccleſiæ perſecutione Diocletiani, & Maximiani collegæ. Qui primo laudato Britio, alterum prætereunt, Carpophori, & Abundii acta reſcindant neceſſe eſt: qui vero difficultatis nucleum è ſuo cortice accuratiùs extrahunt, ſecundum oculis legentium ſtatuentes Britium, horum Martyrum exordia, progreſſus, & glorioſiſſimum finem certo commendabunt encomio. Binos fuiſſe Britios æque ſanctos apud Umbros pari Pontificia dignitate decoratos, ſupra cum de primo Britio egimus ſatis declaravimus, adquem remittimus Lectorem. Cæterùm horum

Digitized by Google

rum Sanctorum Martyrum acta non levi expurgatione indigent,quippe qui confeſſionis ſuę lauream promeruerunt præfata Diocletiani furente perſecutione,vidétur confundi cum ea, quæ ſecunda fuit,efferbuitque ſub Domitiano. Ex iis igitur, quæ ſcripſimus de utroque Britio, cum poſteriori Britio adſcribimus Carpophorum, & Abundium, ſatis eliminatur omnis controverſia de Martyrii tempore. Horum Corpora in loco ubi ab Euſtochio primò ſepulta ſunt excitato Saxovivenſi Archicœnobio in ejuſdem Baſilica ſub titulo S. Crucis honorificentius conditorium conſecuta ſunt in pariete ad dexteram ingreſſus in ipſum Templum.Unde poſt ſecula ritu ſolemni elevata an.1556. die 22.Junii Ara ſub majori diſtinctis in urnis ſunt recondita.Dum examinarentur ſacraMartyrum lipſana Carpophorum ex canitie agnovere devotiſſimi inſpectores, juxtaque cartula enarrans, qua tyranni ſævitie ex hac vita ſublati fuerint. Sed & Altare iterum à Monachis magnificentiùs extructum denuò in ſuo ſinu Carpophorum, Abundiunque nobilioribus incluſos thecis excepit, quarum in fronte aureis literis eloquitur: *Corpora Sanctorum Carpophori Præsbyteri, & Abundii Diaconi*. Teſtatam voluit Deus in Sanctis his Reliquiis Sancti Spiritus ſui præſentiam plurium miraculorum virtute in ea translatione, quæ celebrata fuit anno 1556.Petrus Galeſinus de his agit in Martyrologio Cremonenſi: Sed & de his Romana Ephemeris ad diem 10. Decemb. de quibus latiſſimè Baronius ibi in notis, qui & eorum acta ex Eccleſia Spoletina admodùm depravata dicit; ſed & anceps eſt in eo, quòd quidam codices eadem die Hiſpali in Hiſpania ſub eodem Diocletiano recenſeat Martyres ejuſdem nominis: ſed hi in eo diſcriminantur; quòd Hiſpalenſis Carpophorus ibi Epiſcopus fuit,& Abundius Martyr è Laicali tantùm cætu,ut obſervat Jacobillus,dùm horum acta deſcribit.Agunt de iiſdem Ferrarius in Catal.SS. Ital. ad 10. Decemb. Bzovius in Annal. Eccl. an. 297. Monbritius eorum vitam deſcripſit, item Adrianus Gerardellus, noſter

Ughellus

Ughellus de iiſdem agit in Falginatenſium ſerie n. 6. & in Spoletanis n. 2. in eo ſupplendus, quòd Britii acta, & tempora invertat. Templa Abundio extruxerunt Umbri in Oppido S. Eraclii Diœceſis Fulginatenſis, itemque in ea Spoleti, & Picenates in Caſtro Fidardi.

Sancti è Laodicea Soriæ

VINCENTIUS EPISCOPUS, ET FLORENTIUS

Monachus, Fulginates.

ELOGIUM XII.

Eoi Sideris Prolem
Sueto munere cœli
Læto excipe ſinu Fulginium.
Romulidum Terras peragrantem
VINCENTIUM *aſpice ſimul &* FLORENTIUM.
Umbris Sabinis Etruſcis
Evangelii lucem deferre
Romano ab Hierarcha jubetur Vincentius
Ejuſque ſectatur veſtigia Florentius.
Apoſtolicæ poteſtatis exacto curriculo
Ad cœli Regiam ut ſibi pateant poſtes

Ante

Digitized by Google

Ante fores tuas
TRIN-UNI DEO
Sacro latet in antro Vincentius.
Aſt nec potis eſt abdere penetralia honoris
Virtute qui ſubit lumina Poli.
Quidni tua Sedes
Cui nimis triumphale nomen colludit
Si tantum virum
Sacrorum in Principem exigat publicum?
Virtutis demonſtratio ſecretum hominem pãdit.
Vincentio quem ſuſtulit quietis locum
Cura Communis
Florentius accipit
Ibique infundit jura Caſini
Tenditque ad ſupremi culmen
Monaſtici Ritus:
Nec ille tantùm felix
Quam tua foret Fulginea plebs
Ut luceat hac in ſtatione Beata.
An tu reputabere ſortem habere caducam
Ubi nullo palleſcente æſtu
Vel gelido exiccante imbre
Vere perpetuo virent
Serta Florentia?
Nec ullo orbata lumine
Oculata fortuna viget,

Cui

Cui triumphi baſis ſumma eſt
Viciſſe virtutis nomen habere.
Hoc geminum Sidus
Cum Floribus
Tibi dat coëvos Victoriæ fructus.
Geminis igitur ne ceſſes
Divis hiſce tuis
Canoros ingeminare plauſus.

Notæ.

SYRIA ampliſſima Orientis Regio, quæ & magnam partem Aſiæ complectitur, & quippe nobiliorem, cum ipſi adſcribantur Palæſtina, ſeu Terra Sancta, & Phænicia, loca ſiquidem ubi noſtræ ſalutis Author ortum, progreſſus, & occaſum, ſuam & ad æternitatem reſurrectionem habere voluit. Et hinc lectiſſimi Evangelii præcones, veluti è Lucis Regia, ad Umbros illuminandos advenere. Majoribus igitur è Syria ad Umbros profecti ſucceſſerunt Vincentius, & Florentius Syri Laodicenſes, qui eo tempore, quo Arianorum lues graſſabatur ubique, & Gothorum Rex Theodoricus rerum potitus Regionum Italicarum, Apoſtolicam ſedem, ipſumque Apoſtolicum etiam ad necem divexare non Erubeſcebat, ipſi, inquam, Laodicenſes cum aliis plurimis piiſſimis Viris in Italiam ab Oriente, Romamque venerunt, ſacra loca inviſendi cauſa, etiam martyrii pro fide Catholica tacti cupidine anno 516. Romanus Pontifex Hormiſda Sanctos Viros Excepit, eoſque de latere ſuo legavit ad Umbros, Etruſcos, & Sabinos. Hoc in munere ad vitia carpenda, Ariano-

rumque inſidias propellendas, cum imperterritè ſe geſſiſſent, variis Eccleſiis regendis cum gradu Epiſcopali alii ſunt deſtinati,alii verò contemplatrici vitæ ſe dedere ædificatis Cœnobiis locis in iis, quos Evangelica prædicatione perluſtraverant, progenitis ibidem filiis ad Monaſticen excolendam: hos inter Vincentius Fulginii propè mænia conſedit, & ſtimulo percitus ineundi & ipſe optatam Monachorum quietem, tuguriolo ſubſtructo cum ſacello Sanctiſſimæ Triadi ſacro, ibi perſtitit;ſed aſceticæ vitæ ſolatia Clerus, populuſque Fulginas eripuit, Vincentium in ſuum Epiſcopum, & animarum paſtorem conclamans,quem ſanctum Virum, ut aſſequerentur, acceſſit Imperium S. Joannis Primi ſummi Pontificis anno eodem, quo S.Hormiſdæ ſuffectus fuerat 523. pulchra Anachoretarum ea ſedes, quam poſuerat Vincentius,ab aliis frequentabatur incolis, dum ipſe Fulginatibus præerat Pontificia ex Cathedra . Eodem tempore Vincentii Concivis, & peregrinationis ſocius Florentius, deſpectis omnibus aliis mundi curis,apud Nurſiam ſub regula, tunc exordiente S.Benedicti Eremiticam Vitam ducebat una cum Eutychio Sanctiſſimo Viro, ut de his elogium retexit S. Gregorius Papa Dialog.lib.3.cap.15. Florentius, ſublato Eutychio Concive ſuo, & ſanctitate ſuppare, Fulginium ad Vincentium properavit, à quo in illud tugurium, in quo ipſe antea latuerat, exceptus eſt an.540.protulitque deinceps fines hoc domicilium cœnobitica ſub inſtitutione S.Benedicti, & ſacellum in Templum amplificatū eſt in honorem SS.Triadis ſub invocatione S.Silveſtri,atque Validiſſimæ obſervantiæ ingeminavit filios. Sacra igitur in hac manſione cum exegiſſent auſterioris vitæ annos octo,Florentius extremum diem mortalitatis conſumavit Kalendis Junii an.548. Corpus religioſiſſimè ſepelivit in ſua Cathedrali S. Vincentius, quam cum publici ſumptus ampliaſſent, dicatam voluerunt æquè principaliter Sanctis Joanni Baptiſtæ, Feliciano Martyri, & Florentio Monacho anno 1146. Uſus tamen obtinuit, ut Sanctorum tot nomi-

num

num multiplicitate obliterata, unicum illud Feliciani celebretur. Vincentius verò paſtorale munus ſanctiſſimè cum expleſſet, beatam animam efflavit die 24. Maii anno 551. corpus gregis lacrymis perfuſum Clerus in majori Templo condidit, ubi à fidelium cætu ſumma veneratione colitur. De his Ughel. t.p. Ital. ſac. in Fulgin. n. 9. de Florentio Martyrol. Rom. ad diem 23. Maii, & in notis S. Greg. loc. cit. Petrus Diac. in Catal. lib. 2. c. 11. & m. s. Eccleſia S. Eutychii apud Nurſiam: & alii apud Jacobillum t. 1. SS. Umbriæ.

S. DOMINICUS

De Fulginio Mirabilis Abbas Soranus Ordinis S. Benedicti.

ELOGIUM XIII.

Contemplare Fulgentiſſimum Fulginii ſidus
Atro Benedicti Cucullo
Præfulgentem Dominicum.
Hìc
Anacoretarum Principis Aſſecla
Clariſſimæ denominationis
Patriam Parentes
Liquiſſe nec ſatis ratus
Sæva cupidine
Auſterioris vitæ illectus

 Abdi-

Abditiſſimas Sabinenſes rupes conſcendit
Vaſtæ ſolitudinis receſſus
Ut lateret
Plures luſtrando illuſtravit:
Aſt
Ad celſi culmina cœli
Mente pervolitans
Sole ipſo clarior
Monaſtici lux alma cœtus
Velut cœleſtis Civitas
Non poteſt abſcondi ſupra montem poſita
Nec Lucerna ſuper cadelabrum
Fulgens
Optatæ ſolitudinis delicium
Undique reboans
Suſtulit doctrinæ & Sanctitatis
Fama
Et virtus quæ ex Deo eſt
In prodigia erumpens
Traxit hominum plauſus
Quorum precibus
Vaticano auſpice oraculo
Plurimis per Auſoniæ fines
Excitatos Divorum Templis
Et juxta poſitis
Monachorum ſtationibus

Digitized by Google

Summum petere inde Polum
Exemplo & præceptis ſuis
Innumeros docuit Mortales
Ut meritò
Poſt Maximum Cœnobitarum Parentem
BENEDICTUM
FULGINAS DOMINICUS
Magnus Centuriator fuerit.

Notæ.

IN Lucem hanc venit Fulginas Dominicus anno ſalutari 951. nobili talamo natus patre Joanne Juris omnis cum laurea doctoratus peritiſſimo, & Matre Ampa, ſeu Apa, quorum vita divinis ſemper obſequiis implicita, ex ſe natum ad omnis virtutis faſtigium extollere ſatagentes poſt pueriles viriliter abſumptos annos conſignarunt Abbati, & Monachis Aſceterii S.Silveſtri ex Ordine S.Benedicti propè, & extra Fulginii mœnia. Ibi inter ſacrarum literarum ſtudia præcocis ſanctitatis exemplis in arduis omnibus Monachalis obſervantiæ prælucere citiſſimè cæpit, ſeque conſpiciendum in eo præbuit Deus miracula operans, AnacoreſisTyrocinium nobilitavit ibidem ſacris initiatus Ordinibus. Mox illud Magni Gregorii mente revoluens, quòd raró quis perfectus eſſe poſſit inter patrios lares, dum Monaſticen profitetur, domeſticorum facilè abſtrahendus conſuetudine, remotas ſolitudines quæſivit, intellexitque in Sabinis religioſiſſimæ diſciplinæ Cœnobium tituli S. Ammonis Benedictini pariter moderaminis florere, ad illud perrexit, in eoque ſe obſtrinxit

Evan-

Evangelicæ perfectionis nexibus anno 974. Sanctorum chariſmata æmulatus ad altiora ex præcepto Abbatis ſui promovetur ſacro Presbyteratus Ordine decoratus. Audita Caſinenſium Archipræſule ejus doctrinæ, & ſanctitatis opinione ad Caſini excolendum Archiſterium Dominicum vocavit anno 980. Ibi cum aliquandiù conſediſſet, ad rigidiorem vivendi normam miſſionem impetravit, rediitque in Sabinenſem regionem,& in excelſo monte ſecus Scandriliam Eremicolæ vitam ducere ſtatuit, locum ſibi deligens procul à terrenis, veluti ſolius ſpeculam Olympi. At ubi animarum ſaluti Dominici opem acquirendam conſulturus erat Deus, populis detexit hunc Virum ſuum, ad quem turmatim cum pergerent, retrahebant inde animæ, corporiſque multiplices ſanitatum curationes, & jam cœleſtibus ſignis prodeuntibus propalàm factus Romano Pontifici Joanni XV. ab eo, Caſinatium applaudente Antiſtite, facultatem, Apoſtolico erogato diplomate, obtinuit domicilia Sanctorum, & ea erigendi ſepta, ubi recluderentur, qui extra claſſes rerum ſecularium vitam ducere vellent. Tanta igitur auctoritate ſuffultus, religio ut religione coaleſceret, Procerum, populorumque precibus permotus, Monachis, & Monialibus Cœnobia ædificavit,quæ magis exemplo, quàm Imperio rexit. Rogatu Uberti Marchionis apud Scandriliam Sabinorum in ejus ditione Monaſterium S. Salvatoris excitavit: ad inſtantiam Burrelli Majoris aliud in Sangro extruxit nuncupatum S. Petri de Avellana à celſa arbore Avellana: Celeberrimum hodiedum illud eſt Alatrinæ Diœceſis S. Bartholomæi in Triſulto, quòd in loco, qui Triſaltus dicebatur, juxta fontem limpidiſſimum ſtatuit ita Deo promovente, & modò à Carthuſienſibus inhabitatur; ſanctiſſimè duodecim huic præfuit annis: In Arpinatenſi territorio prope Soram,& Lyris fluenta, eaque Fibreni,quæ in Lyrim ſe convoluunt, qui cum Martyrum, præcipueque S. Virginis Reſtitutæ factus fuerit paleſtræ locus, vulgò Carnellum, quaſi Carnarium ab ea nomenclatur

Carni-

Carnificina,ut eruditè obſervat Baronius in notis S.Reſtitutæ ad diem 27.Maii,in eo igitur loco,precibus Petri Rainerii Soræ Domini, ampliori exſtructo Monaſterio religioſiſſimæ vitæ cum Abbatiali præfectura viginti annorum decurſu rationem traxit,ubi vivens miracula multa patravit, & ad munus divinæ gratiæ innumeros perditiſſimos reduxit,& jam ſenio,morboq. correptus,pręnunciante Angelo beatæ æternitatis inocciduum diem octogenarius obiit undecimo Kal. Februarii anno redempti Orbis 1031. Corpus in ipſa Eccleſia, quam Deiparæ Immaculatæ nuncupaverat, & nunc de ejus nomine S. Dominici intulatur, reconditum fuit, & ſub principe ara ejuſdem ſacræ ædis uſque nunc requieſcit in ſubterranea cripta. Unus eſt ex præcipuis tutelaribus Soranæ Civitatis, cujus feſtum ſolemne agitur quotannis ipſa die obitus, ſed & multiplex populorum concurſus confluit ad ejus Eccleſiam die 22.Auguſti,ubi & Nundinæ celebrantur : invocatur contra noxios impetus aeris, corporis languores, & rabidos beſtiarum morſus. Novem celebriora exædificavit Monaſteria pro viris,unum pro ſanctimonialibus, pro rigidioris vitæ cultoribus, quinque pro Eremicolis ſacris ædibus, aliaſque cellulas ad normam Benedictini Canonis, ab ejus deinde alumnis plurimorum proceſſit Cœnobiorum erectio. Soranum Monaſterium Monachis deſtitutum corruit omninò, vix ſuperſtes viſitur Eccleſia, commendatariorum uſui ceſſerunt modicæ, quæ ſuperfuerunt opes. Sublato per obitum Cardinali Franciſco Barberino ſeniore ab Alexandro VIII. ad tuendum Vaticanæ Purpuræ decorem hæc commenda cum ea Caſæmarii Ordinis Ciſtercienſis obvenit Cardinali Joanni Franciſco Albano, qui in extremis Innocentii XII. dimiſſa Eccleſia Diaconali S. Adriani,Presbyteralem aſſumpſit S.Silveſtri, unde Chriſtiano Orbe fauſtiſſimè acclamante invitus omninò ad Cathedram Petri ſanctiſſimè attractu, eſt: Raro exemplo Eccleſiaſticos hos redditus magis quàm in proprios uſus, in Monaſterii, Eccleſiarum, pauperunque juvamen

vertit,

venit, & Roma digreſſus perſonaliter hanc Abbatiam inviſit, ſuoque aſpectu plurimùm juvit, juvatque modò commendam retinens fatiſcentia reparando, nova ædificia extruendo, menſæ Abbatialis redditus ſive reparando, ſive augendo, inque eo Caſæmarii prænobili Templo Principem aram, veteri abraſa, ſumptuoſo opere, digna tanti Pontificis munificentia erigit. Idem Honorius III. qui Ciſtercienſes introduxit in eo Caſæmarii, addixit Soranenſi S. Dominici, quorum cuſtodiæ innititur.

Monaſticum qui illuſtravit Ordinem Dominicus celebratur in Chron. Caſ. à Leone Card. Oſtienſi lib.2.c.61. Albericus pariter Diaconus Monachus, & ſcriptor Caſinenſium rerum, ejus vitam concinavit: quem, & ſimilem viſionem habuiſſe refert, qua illuminatus fuit Monachorum Patriarcha Benedictus, cum ſub uno Solis radio univerſum mundum collectum vidit. Dominicus Loricatus evulgato nomine ſueverat vocitari; quòd adeo rigidiori diſciplina corpus ſuum caſtigaret, ut ipſum ferrea lorica arctiſſimè præcingeret: dignis encomiis eumdem celebrat Petrus Damiani lib. 1. Epiſt.19. ad Alexandrum . & lib.6. Epiſt.30. ad Teuzonem Monachum, item Epiſt.27.ad Cerebroſum, & allegatur à de Nuce in notis ad Chron. Caſ. nu. 93. & 1072. ejus diem recolit Martyr. Rom. 22. Jan. & ibi in notis Baron. & in Annal. ad an.1030.& 1031. ubi de ejus geſtis, & obitu, & propagaſſe inquit Monaſterium Caſæmarii, quòd tunc à nigris Monachis incolebatur. Ughel. in Soranis Epiſcopis n. 6. t.1. Monumenta m.s.Caſæmarii, item Eccleſiæ Soranæ, Carmina Monaſt. S. Bartholomæi Triſulti, & Fulginei. Gaſpar Spitillus ejus vitam impreſſit, & ex his, aliiſque Jacobillus. Et de eodem in noſtro, quod poſt Ughel.proſequimur Opere Ital.ſac.t.1. in tractatu de Epiſcopatu Caſinenſi.

TITULO

Digitized by Google

Titulo S. Crucis

S A X O V I V U M

Celebre Sanctorum Domicilium

ELOGIUM XIV.

Ad Solis ſpeciem
In Orbem ceù fulgentes radios
E SAXO-VIVO
Conſpice prodeuntes viros
Præſtantiùs quàm ex ebore tuo
Maxime Phidia
Qui
Diis quàm hominibus ſculpendis
Melior claruiſti
SAXO IN HOC
Divinum incide opus
Et imaginem primam
Affige CRUCIS *ſigno*
Quam primus ſacravit
Clavis in ſcalpella verſis
Factor omnium
Cruci affixus Homo.
Tam digno exculptum

De nomine SAXUM
Novo percuſſum ictu
Vivido ſcintillat ſanguine
Martyrum
CARPOPHORI *&* ABUNDII
Sacrata membra
Dum refovet in ſinu
Procurante
Pietatis cultu digniſſima fœmina
, FULGINATE EUSTOCHIO
Et emicat ictu
Repercuſſum novos ſemper
Suſcitans ignes
Ac ſimul
Multiplex virtutum flamma proſilit
Trigemina Monachorum ſtatione
E Caſini vertice de Valle Ciſtercii & Olearum Monte
Aſt
Una ſemper in Deum pietate
Quaſi ſplendidiorum ſiderum
Undequaque
Nitidiſſima luce perfuſum.
Proh mirum!
Copia cæleſtium benedictionum
SAXOVIVUM CASINUM ATTIGIT
Radices in electis immittit Ciſtercii

Et

Et filii exuberant ſicut novellæ Olivarum
Pari cumulo gratiæ
In deliciis abundans
Anachoreticæ Proles.
Hæc æmulare Phidia.
Hìc tandem ſub Labaro CRUCIS
Tuus efficiat malleus
Non quod Minervæ in Clypeo
Amazonum pugnam & Gigantomachiam
Sed quod exhibet ſtemma Chriſtiadum
Virtutum Montes aggeſtos
Et animarum ſanctitudinem
Quarum celſitas ad aſtra contingit
Et ad cœlos evehit.

Notæ:

HAUD procul à loco cædis Sanctiſſimorum fratrum Carpophori, & Abundii admonita ab Angelo Euſtochium, è Fulginate prænobili gente piiſſima fæmina (cum ea quippe Euſtochio comparanda S. Hieronymi Alumna, quæ prçclaris meritis fulgens in contemplatione cæleſtium apud Bethlehem migravit ad Dominũ) in ſuo prædio ſepelivit honorificentiſſimè in ſepulchro, quòd ſibi vivens ad Saxovivum Montem nuncupatum de morte benè cogitans poſuerat tertio à Fulginio milliario. Denique Euſtochium cum veræ Viduitatis juxta Apoſtoli ſcriptum ad Timotheum

Digitized by Google

cap.2. & ſumma Chriſtianæ perfectionis laude abiiſſet ad ſuperos, Corpus apud præfatos Sanctos Martyres terræ dimiſit. Locus à fidelibus tantæ memoria ſanctitatis frequentatus egregio, & magni nominis Cœnobio condecoratus eſt, Fundatore cœlitùs immiſſo B. Maynardo natione Germano, profeſſione atri Cuculli Monacho ex Ordine S. Benedicti, qui anachoreſim cum perfectiſſimè impleſſet, novæ prolis parens futurus declinavit ad Umbros, & ſecùs Fulginium, in loco Saxovivo contermino Oratorium ſubſtruxit in honorem Deiparæ Mariæ anno 1066. ubi cum ad miraculum vitæ auſteritatem duceret, Umbris monaſticæ diſciplinæ tyrocinium ponere adactus eſt, clariſſimo excitato apud Saxo-vivum Aſceterio, poteſtate accepta à S. Bonfilio Fulginatenſi Epiſcopo anno 1086. (rem approbante ſuo diplomate Urbano II. an. 1088.) ubi, & magnificum S. Crucis Templum exurgit, ſub cujus tandem Ara majori conquievere ſacra Sanctorum Martyrum Oſſa. Magni operis exigua primordia eo uſque excreverunt, ut Saxovivenſe Sanctæ Crucis regulare domicilium Archiſterium evaſerit, cui Beatus ipſe Maynardus primus Abbas eſt impoſitus. Arctam ibi regularem diſciplinam ex inſtituto Benedictini Canonis inſtaurare mirum in modum eſt aggreſſus, in cujus rigidiſſima obſervantia ſanctiſſimè obiit anno 1096. eadem recurrente anniverſaria die, quam ſuo martyrio ſacraverant decima Decembris Carpophorus, & Abundius, mox ſucceſſorem excepit pari vitæ ſanctimonia celebrem Dionyſium conterraneum ſuum, & in ſancta converſatione collegam: huic ſuffectus eſt B. Albertus nobili apud Fulginates Comitum de Oppello, Pale, Caſale, & Serronio progenitus ſtirpe, qui eo charitatis ardore Abbatiale ſuſtinuit onus, ut decedens divinos promeritus fuerit honores; multoſque ſuarum virtutum æmulos poſt ſe relinquens muneris ſucceſſores habuit, eoſque primates inter Fulginii Cives ſuos, & hi ſucceſſivè enumerantur, Petrus de Aptis, Michael Gualterii filius Comitum de Oppello, cujus

præci-

præcipua induſtria, & meritiſſimo vitæ exemplo Monachalis Saxovivi Congregatio plurimùm propagata eſt. E vivis ſublatus Rodulfo gentili ſuo regimen dimiſit Michael; Rodulfo datus eſt ſucceſſor Michael hujus nominis II. Atto de Aptis Domicellus Fulginas ſubſequitur, ex eodem præpotenti germine hanc præfecturam deinde geſſit; cui Rodulphus II. item de Aptis ſubrogatus eſt: mox Guido Comitum de Oppello huic Catalogo adſcribitur: eadem in Sede collocatur poſt Guidonem Maurus de Aptis: Paſtoralem Virgam accepere ſubinde Jacobus Comitum de Oppello, Joannes Fulginas, Theobaldus Dominici filius Fulginas, Nicolaus è Comitibus de Oppello, Angelus ex eadem clariſſima gente, cujus virtus plurimùm commendatur: Angelus II. cujus genus reticetur, ſed virtus ſuos plauſus promerita eſt, Guido Fulginas, B. Alanus in Germania natus, cujus infra Elogium reteximus. Quid ultra? haud longiori poſt tempore, ut fert rerum conditio humanarum, tepuit rigor antiquæ Monachalis diſciplinæ, & qui inſtaurari debuerat, communi vitæ, & temporum calamitati attemperandus, deperditus eſt, qui elucebat diffuſus ex hoc Saxovivenſi Archicænobio, à Paulo II. ſecularibus Clericis jure commendæ traditum anno 1467.

Magnum quippe, & Fulgentiſſimum inter Italiæ Deo Sacra ſepta, quod undique ad ſui venerationem adeo fideles pellexit, ut jam ferè Caſino coæquandum eſſet in Italiæ ſinu, auctum ad numerum nonaginta duorum Monaſteriorum, quæ ſe ipſi adjunxerunt per uniuerſam Umbriam, Picenum. Etruriam, & Latium, quibus in locis, & aliæ Monachales cellulæ, animarum curatæ Eccleſiæ, & plura Hoſpitalia eidem ſe ſubdidere, & Saxovivenſis Archimandrita tanquam Caput, & Abbas Generalis ſub nomine Saxovivenſis Congregationis jura dicebat. Plurimis excurrentibus deinde à ſua fundatione annis mirificè floruit copia Sanctorum, ut commendatum habemus ex ejuſdem monumentis, & Chronico impreſſo anno 1653. *Primi Abbates, & Monachi Monaſterii S. Crucis*

Saxi-

Saxivivi pro Sanctis habentur. Factum ita celeberrimum omnibus hoc ſanctitatis conditorium, Fulginatenſium præcipuè Optimatum juribus,& opibus undequaque locupletatum eſt. Explenduere præ aliis, regiæ quidem munificentiæ, donationes Oppidorum de Oppello,Caſalis,& Pale,aliarumque civilium juriſdictionum, è quorum ampliſſimis redditibus Monachorum multitudo ad laudes Deo concinendas, Divinumque cultum augendum enutriebatur, patebantque oſtia Saxovivenſium domiciliorum veluti ſinus fragrantiſſimæ charitatis excipiendis hoſpitibus, peregrinis, & pauperibus omnibus juvandis. Sed cum ea fervens regularis diſciplina, quam poſuerat Maynardus primus Abbas, per longiora ſecula in ſui venerationem quæ traxerat omnes, jam frigeſceret; ad eam inſtaurandam, novoque igne ſuccendendam, amotis à Benedicto XII. Romano Pontifice ex Ordine S. Benedicti Ciſtercienſi quondam alumno Monachis nigris, Monachi Ciſtercienſes per idem tempus præſtanti Sanctimoniæ laude florentes illuc introducti fuere, qui tandiù ibi honorificè commorati ſunt, donec occupantibus Cœnobium Commendatariis, ex pauperiori menſa recedere coacti ſunt; ut Ughellus noſter t.1. Ital.ſac. agens de Epiſcopo Paulo n.30.ſcribit, & deperdita Saxovivenſi Congregatione,ex Innocentii VIII. Pontificis conceſſione candidi amictus Monachi Ordinis pariter S. Benedicti Olivetanæ Congregationis, modico reſervato ad victum pro iiſdem cenſu, Divinum ibi cum ſuo Abbate opus perurgent. Nec ideo protritus flos Monachalis obſequii circa Cruci affixum Dei filium, qui paſcitur inter lilia, virentia ſucceſſere floribus Olivarum virgulta, & qui triumphali pompa arctatus inter ramos Olivarum Jeruſalem eſt ingreſſus, inde egreſſus eſt ad Calvariæ Montem ex eo Oliveti Unctus, & Vinctus fervore Charitatis recedens, & ſpinis Caput, Olea coronavit Crucem ſuam. Vividior igitur Saxo in hoc Oleis obſito vivificæ Crucis imago. Quòd ſi Vitis eſt Crux, ex qua pendet vita noſtra Chriſtus, uberior fructus erit ſi oleæ

vitis

vitis incumbat, ut Virgilius accinit lib.2.Georg. Sed truncis Oleæ meliùs propagine vites reſpondent. Et Olearum eſt corona, quæ triumphanti debetur Pacifico Regi: unde & Ovidianum illud lib.4.Triſt.Vinctus oliva victor Eques. De hoc Florentiſſimæ Sanctitatis Cœnobio conſulatur Jacobillus, qui ejuſdem Chronica diſertiſſimè ſcripſit, cui adfuere documenta ejuſdem Abbatiæ: Durantes Dor. in hiſt. Trinciæ fam. Lancellottus in hiſt. Olivet. & Acta SS. Carpophori, & Abundii.

Spectabilis Dei Famulus

M A Y N A R D U S

Saxovivenſis Archiſterii primus Archimandrita.

E L O G I U M XV.

Ne ſolus Aſtris Mons inſertus
Caſinus
Terris exemptos
Mortales faceret æternos Cives Olympi
MAYNARDUS
Teutonica ſtirpe illuſtri progenitus
Clariori rutilans Benedicti Cucullo
Amicæ ſolitudinis abdita petit
Ne vel levi nebula

Imbu-

Digitized by Google

Imbutam Monaſticen radiis
Obnubilaret vitam.
Aſt fragoſis
Ubi Hæreſum, & Schiſmatum undis
Audit turbatam Petri navim
Medio in Eccleſiæ frato
Agere excubias duxit
Romamque transfrætans
Effrænes errorum coërcuit undas
Diſſerens de Divinis
Et Venerari docens
Quæ humana ſunt copulata Divinis.
Quæritat iterùm
Seceſſum procul à turbis
Beata ubi ſtatio eſt
Et Fulginei ſoli
Se ſiſtit in antro.
Habet hìc
Delectum virorum telluri qui valedicant
Et primordia excitat vitæ ſalientis ad æthera
Atque Sanctorum exemplaria præfert
Caſinatis Benedicti
Qui rutilarent ſeveriori canone.
Hìc
Inter nemora ſaltuſque Fulgineos
SAXOVIVENSI IN VALLE

S. MA-

S. MARIAE DE VALLE
Sub invocatione novam Anachoreſim inſtituit
Et per gradus ſaltuſque virtutum
Aſcenſum ſollicitat ad cœlum.
Sed
Quæ Proles ſolvebat ad portum ſalutis
CYNOSURA DEIPARAE
SUPERNAE TRIADIS
(Cujus Alma Virgo Triclinium eſt)
Aſtro horoſcopari par fuerat.
Hinc
Novam impellitur in Ædem
Opes & jura
Fulginatium nobiliſſima profundente manu
Et Saxovivenſis vallis
Specus Mariæ
In Thalamum tranſit Trinuni Dei
SAXO *deſuper* VIVO
Vitæ arcano excitato
CRUCIS SIGNO
Lignumque in latebris Eden
Quod diù latuerat
Ad vitæ Paſcua
Patens eſt omnibus
Statis hinc inde
Non peſſimo optimoque latrone

 Sed

Digitized by Google

Sed
Qui ſua in Cruce profecerant
Chriſti Crucis Amatoribus
CARPOPHORO & ABUNDIO
Plena Sanctorum Philoſophia
Saxovivum ſchola eſt
Maynardo Magiſtro
Docet
Hoc Saxum conculcamenta mundi.
Frangit hìc ſuos tumentes fluctus
Ira Dæmonum & omnis
Illecebra carnis.
Saxum hoc eſt
Quo deſuper dormitanti Jacobo
Suam ſcenam aperit cœlum
Et Divinitas
Se cognoſcendam profert
Mortalibus ægris.
Saxum hoc eſt
Quod extollitur in caput Anguli
Lapis Chriſtus.
Saxum nunquam grave
Quod ſi demergatur in mare
Sursũ tollitur ambulãs ſuper Undas
Quinimò
Super pennas Ventorum

Felix

Digitized by Google

Felix qui huic Saxo hæret
Veluti magnetico ſidere cœli
Super æthera levandus onere ſuo:

Notæ.

ECquis non videt Fulginium cœlitùs irradiatum,atque flammantem ornamentis Chriſtianæ pietatis è Saxovivenſi tellure : emicat jam primùm, exuberante ſanguine Martyrum, & ſinu in ſuo, veluti ſaxea in Urna, pia curante fœmina,ſopitos excipit Chriſti Confeſſores,uſque dum expergefacti ſurgant in noviſſimo die . Locus iſte religioſo populorum cultu inceſſanter frequentatus . Denique ſacris Cineribus Mauſoleum imponere viſum eſt cœlum titulo Crucis, & SS. Trinitatis inſcriptum, ubi adinſtar Cœtus Angelici Choreas duceret diù, nocturquè Monachalis turba, ſacri operis architecto Maynardo cœlitùs vocato . Quippe qui Stiriam linquens,& Monachalis diſciplinæ arctiora ſepta profligaturus procaciam hæreſum, & ſchiſmatum Romam venerat , ſtetit imperterritè contra Pſeudopontifices pro Alexandro II. Adeoque plurimùm commendatur à S. Petro Damiani c.23. de perfectione, ab Ugone Monander in Martyrol. Ordin. S. Bened. in append. ſub ann. 1060. & Bucellino in Menolog. Bened. ad diem 3. April. quòd tam grande beneficium erga Sedem Apoſtolicam mente revoluens Innocentius II. favorabili diplomate Saxovivenſes Monachos, eorumque bona dum munit, de Maynardo hæc pronunciat: *Conſtat ſiquidem felicem memoriam Maynardum prædeceſſorem veſtrum, ac magiſtrum S.Rom. Eccleſiæ laboribus inſtitiſſe; atque pro ea tempore ſchiſmaticorum, & hæreticorum fideliter inſtitiſſe, &c.* quæ literæ Apoſtolicæ ſpectantur in

hujus Cœnobii Archivo dat. anno 1138. die 21.Maii. Sacra doctrina, omnique ſcientia præcelluit Maynardus,& his cum religioſæ vitæ candore induſtriam æque conjunxit, quare, & fœdifragos debellare facilè ei obvenit. Gratia apud omnes cum ſummè floreret, tum ob ſanctitatis famam, tum ob eximiam literarum peritiam, plures ad ſe confluentes humanas, divinaſque ſcientias docere compulſus eſt, eo ſiquidem pietatis ſtudio, ut errantes plurimos ſimul ad pęnitentiam, & in viam veritatis perduceret. Et nova hæc plantatio applaudenda Caſino eſt, tum quia, & Virgultum eſt ingentis arboris à primo agricola Divo Benedicto plantatæ, tum etiam quia, & Caſinas ipſe nomenclatur Maynardus, & à Bonfilio Fulginate Epiſcopo, & Caſinenſi Monacho primùm poteſtatem accepit conſtruendi Cœnobium, coadunandi cœnobitas, iiſque præeſſe in Abbatiali regimine,quòd quidem agnoſcens noſter Ughellus ſcripſit Ital.ſac.t.1.mihi col.742.Verbis his. *Floruit hujus tempore* (Bonfilii) *Maynardus ex Ordinę Caſinenſi Sanctiſſimus Monachus, qui ſibi à Bonfilio Epiſcopo facta poteſtate; acceptaque tanquam filius à parente benedictione celebre S. Crucis ædificavit Cœnobium. Hoc deinde Cœnobium adeo opibus, & moribus Monachorum adauctum eſt, ut multorum Monaſteriorum ejuſdem inſtituti caput extiterit.* Magnanima Fulginatium pietas certatim opes ſuas profundere viſa eſt ad hujus Monaſterii decorem, cultumque in eo divinum augendum; ſed quæ præ cæteris clareſcebat in Univerſa UmbriaTrincia gens rerum principatu,& opibus clara, cujus alumni Comites de Opello, & Fulginii Domini, & inter Optimates Italiæ caput extulere: hæc enim inclyta progenies maximè enituit, Regia quippe munificentia plurimis elargitionibus Archiſteriam hoc ditando,& illuſtrando,quòd & ad ſe Trincios plures traxit, & Benedicti ſago obvolutos ad Cęlum tranſmiſit.Digniſſima quippè Arbor Fulginea,quæ Cęlo, terriſque Heroas ſpectatiſſimos protulit. Deſiitque eſſe in humanis,cujus memoria apud poſteros æternùm manet: ut

de

Digitized by Google

de Trinciis Hiſtoriæ eloquuntur. Divini fulgoris flammas ſuas cum diù eructaſſet hocce Saxovivenſe Monaſteriũ, elanguit temporum injuria, ceſſitque ſecularibus Clericis Jure Commendæ, & ejus Congregatio diſperſa, ut enarravimus, modicum lumen exigui Monachorum Cœtus rutilat modo in eo ex Olivetana familia, ex qua prodiit Elogiolo dignus Daniel Fulginas, primum oblatus, dein laicus profeſſus. Hic inter probos quoſque ſuos aſcetas optimus, qui infimus gradu erat, & miniſterio, humilitate, obedientia, vitæ, puritate, ſimplicitate cordis, & ignea erga Deum, & omnes charitate, terram liquit honore dignus cœlitum, quem Lancellottus celebrat lib. 2. hiſt. Olivet. cap. 10. in fine, deque eodem Jacob. t.3.& monum.Saxoviven. Cœnobii.

B. ALBERTUS
Fulginas Saxovivenſis Abbas.
ELOGIUM XVI.

Perfectæ ſanctitudinis uberrima in Arbore
Inſeri cupiens Fulginas ALBERTUS
Novellam è Saxovivo Plantationem
Alacer aſcendit.
Adauxit ſplendorem generis
Benedicti amictus cucullo
Una ſecum ducens
Suæ gentis nobiliſſimos traduces

Ubi

Ubi arctiſſima ſub morum cenſura
Suaviùs ſpatiarentur in cœli deliciis.
Quam laxata nimis in terris licentia ſeculi
Jamdiù inter Studitas Virtutū attigerat metā
Cum ad Monaſticen Magiſterium aſſumptus
Abbatiali ex Cathedra
Aptiſſimis vitæ exēplis & præceptionibus docuit
Quàm gratum excelſo Numini eſſet
Hoc novū Evāgelicæ perfectionis Archigymnaſiū
Quod in familias quā plurimas cum propagaſſet
Gloria & divitiis undequaque refulgens
Voluit hoc Saxum Vivum
Immortalitatis ſuæ notam ipſi affigens.

Notæ.

NOBILISSIMIS editus Atavis B. Albertus Parentem habuit ComitemGualterium è recta linea pronepotem Monaldi Fulginatis Patritii, Magnique Comitis Umbriæ è cujus ſtipite prodiere Urbevetani Proceres Monaldi, ſeu Monaldeſchi Trincii, qui in Potentatibus Umbriæ magnum ſibi fecere nomen, Peruſinos Monaldos, Alvianos Tudertinos, quibus ſæpe ſe inſervere Urſina gens, eaque de Aptis, & Eliſea, indeque plurimæ exortæ ſunt nobiliores Italiæ geneſes. Gualterius Alberti genitor, perſpecta Maynardi primi Saxovivenſis Monachalis conturbernii ad inſtar Caſinenſium Aſcetarum inſtitutoris mirabili ſanctitate, Templum, & Cœnobium ædificavit ad divinum cultum commodè perurgendum, & profuſa liberalitate ditavit attributis poſſeſ-

poſſeſſionibus, & ampliſſimis terrarum tractibus, cum oppidorum ditionibus, Eccleſiarum juribus, quibus de jure patronatus pinguia inhærebant Sacerdotia, quòd idem perfecerunt Alberti germani fratres, aliique generoſo ex hoc germine ſuccedentes, ſibi ſuorumque ſaluti Vigore talium donationum perſpicuè conſulentes. Mundi hujus pertæſus anguſtiis Albertus cum aliis ſui generis ſociis ad Maynardum confugit, qui explorato accedentium ſpiritu, eos regulari diſciplinæ obſtrinxit, & in ultimis ſervitiis obedientiæ, quæ Regum Imperiis, & Magnatum ſeculi poteſtati præcellit. Majores ſemper progreſſus in religioſo ſtatu cum feciſſet Albertus, ſublato per obitum Dionyſio Abbate, qui Maynardo ſuffectus fuerat, ipſe ab univerſo Monachorum Conciſtorio acclamatur Abbas, qui tertius enumeratur Saxovivenſis anno 1102. plauſere omnes optimi hujus Viri delectù, & unde viginti annis, quibus præfuit, varias Procerum donationes aſſecutus eſt, plures eidem Epiſcopi addidere jura, accedente Paſchalis II. omnium rati habitione, cum protectione immediata S. Apoſtolicæ Sedis; & quindecim per diverſa loca Monaſteria Alberti opera extructa ſupremum agnovere moderatorem Saxovivenſem Abbatem, Deo, & hominibus carus elatus eſt in Cœlum Albertus die 14. Februarii an. 1121. Terræ commendatus in ſua Baſilica, cujus ſacræ Exuviæ poſtmodùm detectæ ſunt die octava Auguſti, qua cœpit ejus ſolemne feſtum celebrari. De ipſo agunt Monum. antiqua Archivi Saxovivenſis, Chron. ejuſdem Monaſt. impreſſ. an. 1654. Durantes Dorius lib. 1. hiſt. Trinciæ, & in Summ. Virorum Illuſtrium Fam. Trinciæ Jacobillus, & alii.

S. BON-

S. BONFILIUS
Ex Ordine S. Benedicti, Abbas, & Epiſcopus Fulginas.

ELOGIUM XVII.

Adeſto Fulginium
Cæleſti reflexu
Habes in BONFILIO *Parentem optimum:*
Huic
Alta ab arce Caſini
Magnus Chriſti Athleta Benedictus
Monaſticen dedit
Et Virtutum omnium tyrocinium perfecit.
Tales quot filios Anacoritarum Princeps aluit
Tot potuit coluiſſe animarum parentes
Univerſus Orbis.
Coluit hunc Fulginium
Et ſplendoribus Sanctorum ingeri agnovit
Tam fervido æſtuantem erga Chriſtum amore
Ut ubi Dei crucifixa pependit humanitas
Maumetigenam inde immanitatem depelleret.
Militiam cruceatam
Romanus Hierarcha indixerat.

Ad

Digitized by Google

Ad arma fletus & preces
Pro Filio Dei factus Bonfilius
Dei Vox
Fulginium provocat:
Quod Paſtoris quod Gregis eſt
Mira Clericalis Laicique Senatus
Conjuratione perficitur.
Et proficiſcitur Paſtor ſimul & Grex
Cum Cruce ſignatorum impavida claſſe.
Tartareas expunxit Hienas
Et Agnum reſtituit Dominatorem terræ
Iſraeliticæ Terræ.
Aſt ne lugeas Fulginea Civitas
Lege & exulta.
Mage claruit fulgor tuus
Cum inter obſtacula belli & diſcrimina rerum
Suſtulit Cives tuos
Hujus è tenebris Vitæ
Empirea lux.
O' nimis felix Fulginium
Millenos cum tranſmiſit ex ſe natos
Ad inocciduam Sanctorum lucem!
Hæc inter funera Paſtoritiæ fœnera
Reddit Cœlo Bonfilius.
Qui
Cruentiſſimi prælii monumentum ſuperſtes

Cæterorum veneraturus memorias
Deifici incolatus adoraturus veſtigia
Ternos ibi aſſumpſit luſtros
Precibus jejuniis flagris cruciatibus
Chriſto patienti ſimilis factus.
Euge Fulginium
Paſtor tuus vivit inter mortuos liber.
Abiit pugnaturus venit vidit vicit vivit
Et triumphaturus rediit
Atque ad Virtutem dignius tropheum addidit
Sponte carere ſua lectiſſima Virgine ſponſa
Fulginatenſi Eccleſia
Ratus pretioſius conjugio pignus
Receſſus repedare Monaſticos
Ubi reaſſumens cœleſtis primordia vitæ
Inter cruciatus delicias
Inter nemora ſolatium
Inter mortis agones
Vitam Sanctorum invenit.

Notæ.

AMPLITUDINE, ſitu, antiquitate nobiliſſima Piceni Civitas Auximum Bonfilium mundo edidit, qui cum Vix puer ingentes ad Virtutem progreſſus faceret, Monachis Ordinis S. Benedicti adſcriptus eſt, quidquid Monachalis officii perſolvendum eſſet, cum ad miraculum

culum impleret, cæteris præeſſe juſſus eſt, primùm in Storacenſi S. Mariæ Cœnobio, dein in eo S. Silveſtri ad Fulginii mœnia, ubi in ſummo rigore dum Vitam duceret, à Clero, & Populo ad Fulginatem Pontificiam Cathedram poſtulatur, eamque ſua prçfectura decorare prçcipitur à S. Gregorio VII. ex Ordine pariter Monaſtico Maximo, optimoque Pontifice an. 1078. Totum ſeſe paſtoralis curæ operibus tradidit, opes ſuas in clerum, & pauperes effudens ingenti cum fructu hanc adminiſtravit Eccleſiam, omniumque animos adeò ſua dexteritate illexit, ut ad difficillima quæque mirabili facilitate attraxerit.

Quod tentaverat Septimus Gregorius, indicere in Terram Sanctam expeditionem, ſed variis bellis, & Schiſmaticorum factionibus tantum opus impeditum fuerat, Succeſſor ejus, item ex Ordine Monaſtico, Urbanus II. in Concilio Claromontenſi Sacrorum Antiſtitum, & ſeculi Procerum ſtipatus corona Apoſtolica è Cathedra enunciavit an. 1095. Cœleſti hoc zelo ſuccenſi Eccleſiarum Præſules plebes ſuas ad id opus cum omni ſolicitudine excitabant: Bonfilius verò, qui feliciorem & ſibi,& gregi ſuo ad cœlum perveniendi occaſionem hanc aperiri agnoverat;impigrè quòd ex corde prçſtandum foret uſque ad bonorum, ſanguiniſque effuſionem edixit populo ſuo, ut à Turcis omni ſpurcitiarum genere profanata redimerentur Sepulchrum, & Chriſti Incunabula, cæteraque loca ejus memoria conſecrata. Exhortante Bonfilio confluebant omnes ad Sanctiſſimæ Crucis militarem teſſeram capeſſendam, ſed ab eo magis idoneus ad iter, & bellandum delectus eſt numerus, opes ab aliis, & qui reſidui eſſent in Civitate, & Diœceſi jejuniis, precibus, corporiſque macerationibus cœlum pulſare juſſi ſunt, ut inde ad Chriſti milites auxilium deſcenderet. Iter ipſe arripuit cum cœtu fidelium, & Eccleſiaſtici Ordinis decenti Senatu,pervenitque in Orientem, ubi pugnatum eſt ſub Duce Gotifredo Bulione ad ardua animante Petro Eremicola ex Ordine pariter Mo-

naſtico Benedicti: capta eſt Jeruſalem, dejectus Mahometigena, & Jeruſalem Rex inſtitutus Gotifredus anno 1099. ſed & in eo conflictu plurimos inter illos, qui in occiſione gladii Sidereo fulgore coronati ſunt, eorum, qui deceſſiſſent è Fulginate ovili, ipſe propemodum Paſtor ſolus ſuperſtes cum fuiſſet, ad æternam requiem animum compoſuit, & frequentia orationum, lacrymarum, jejuniorum, omniſque generis ærumnarum quindecim fere annos, cognitus tantum cœlo, in iis ſanctis locis ſolitariam vitam duxit. Interim falsò inducta fama Bonfilii obitus in Oriente, animum Romani Pontificis permovit, de ſucceſſore providendo, promovitque Andream Fulginatem Civem, quem tanquam Virum lectiſſimum gerendi ſui muneris Vicarium generalem delegerat abſens Bonfilius, qui jam divino impellente Flamine in Italiam revertitur, & Romæ ſubſiſtens provolutus ad oſcula pedum Paſchalis II. ad clavum Fulginatis Eccleſiæ à Pontifice redire hortatur; ſed haud quaquam, & ſi impenſiùs deprecanti Romano Antiſtiti aſſenſus eſt, & laudato ſucceſſore Andrea, à munere Epiſcopali ultrò abivit, impetravitque redire ad Monachalem Vitam in Storacenſi S. Mariæ Cœnobio. At qui in Epiſcopali dignitate optimi Paſtoris ſpecimen dedit, rediens ad Clauſtra perfectiſſimi Anacoretæ munia iterum exegit: modicus inter cæteros Monachos, & puſillus omnium vivens ſub aſſidua Abbatis obedientia, ab eodem obtinuit, ut in Cinguli jugis Auximanæ Diœceſis constructo ſibi tuguriolo, ibi reliquum Vitæ in bona ſenectute ſolitarius abſumeret; quo in loco ſuaviſſimo odore ſuæ ſanctitatis cum perfudiſſet conterminos populos, quintum ſupra ſeptuageſimum ætatis annum agens animam Deo reddidit die 27. Septembris 1115. & in ſacello ſuæ manſiunculæ, uti optaverat, humatus eſt; ubi manſit miraculis clarus, licet tumuli locus temporum ſucceſſione factus incognitus, donec tandem infirmus ipſum invocans ad ſanitatem indicavit, cœlitùs eo revelante. Ita cognitum Sancti Corpus elevavit devotiſſimè Concivis ejus

S. Sil-

S. Silveſter ex Ordine S. Benedicti Congregationis Silveſtrinarum author, & honorificentiori Templo à ſe conſtructo ſub Bonfilii nuncupatione excepit, ejuſque geſta Sanctus pro Sancto ſcribens literis ad perennitatem conſignavit. Inter præcipuæ ſanctitatis Epiſcopos commendatur à noſtro Ughello to. 1. Ital. ſac. in Fulginatenſium ſerie n. 21. & à nobis in noſtra poſt Ughellum ibidem lucubratione: ibi enunciatur quantum inſudaverit pro ſuo grege, clerum impenſiùs adamaverit, opibus auxerit, Principumque in ejus obſequium traxerit beneficentiam, & ſummæ laudi ipſi adſcribendum: quòd eo Antiſtite, & facultatem elargiente, Sanctiſſimus Monachus ex Ordine Caſinenſi Maynardus celebre S. Crucis de Saxovivo ædificavit in Fulginatium territorio Archiſterium, uti de eo Elogium dictavimus.

S. RAYNALDUS, ET BB. PHILIPPUS, & JOANNES

Patritii Fulginates de Trinciis. & Epiſcopi Nuceriæ.

ELOGIUM XVIII.

Ne ceſſes Fulginea Gens
Tuos jactare Parentes
Tua ut Luce
Fulgeat in terris gloria cœlitum.

Divinis

Divinis præeſſe Aris
Et Sacerdotii Sedes decorare ſupremas.
Divino afflante Numine
Quæruntur Fulginates Patritii
Ex uno eodemque
Optimatum ſtipite nati
RAYNALDUS PHILIPPUS JOANNES
Nullus in eo degener
Generando Chriſto Deo
Chriſtiferam ſobolem
Succeſſivam dum geſſere
Sacram Nuceriæ Paſtoritiam.
Ita habendum Religioni duxerunt
Noxium neminem
Innocuos omnes
Nucerina in Aula habere.
Nec Lupus nec ferale quidpiam
Auſus eſt unquam
Paſtoribus hiſce
Nucerino quantumvis pleno
Inſidiari ovili.
Hinc Præſul
Dei legibus quàm propriis
Obſequentior qui eſt
Sibi præeſſe datum ut aliis prodeſſe
Agnoſcens

Nocua

Nocua invertere
Innocua reddere ſapit.
O mirùm!
Sacerdotale Regimen
Paſcere non depaſcere Gregem
Agere pinguia in arua
Non depecolari pecus
Procul ab omni mundi queſtu
Et pecuniario aggeſtu
Ubi
Pecuaria agitur Chriſti.
Ea eſt unica quaſtuoſiſſima ratio
In ruſticatione Divina.
Victimam ſimul eſſe
Qui & Sacerdos eſt.
Dum ex ore Dei ille bonus Paſtor
Qui animam ſuam ponit pro ovibus ſuis:
Hæc ſapere ſemper deſipere nunquam
Viſi ſunt
Ter gemini Fulginates Heroes
Quorum par Virtus
Par itidem coronat diadema triumphi.

Notæ.

Digitized by Google

Notæ.

AMPLISSIMI Trinciorum generis inter Viros merito Sanctitatis illuſtres cœlitum Elogio digni memorantur Raynaldus, Philippus, & Joannes. Ex his Raynaldus, vetuſtiori tempore natus, Comitem Neapolionem patrem habuit, progenitum ex Comite Maynardo Boni comitis è clariſſima Fulginatium ſtirpe de Victo, ſeu Lupo nuncupata, & Offredo, qui ambo dominii ſplendore præ ceteris intèr Umbros coruſcarunt, & pro ditionis, & fæudorum Varietate, alia, & alia ex ſe prodeuntibus familiis cognomenta fecere. Dux fuit Offredus Trinciæ hac in regione potentiſſimæ gentis, quæ Fulginii, Nuceriæ, aliorumque in Umbris locorum Principatum tenuit, eo præcipuè tempore cum Clemens V. Romanam Apoſtolicam Sedem Avenionem duxit anno 1306. ibique conſedere ſuccedentes Pontifices uſque dum Gregorius XI. qui Divino permotus Numine Romam reportavit anno 1376. Abſente ſiquidem Pontifice omnia ſurſum deorſum cum abirent Eccleſiaſticæ ditionis, multi Dynaſtæ ſub ſpecioſo titulo Pontificii Vicariatus omnia occupaverant, tyrannidem potiùs, quàm verum jus in populos exercentes. Publicæ rei tot gravamina excuſſit Eugenius IV., qui fortiſſimi Viri Joannis Vitelleſchi Patriarchæ Alexandrini opera uſus, inter cæteros populos, quos exactis tyrannis revocaverat ad obſequia Eccleſiaſtici ſceptri, Fulginates præcipuè fuere anno 1439. Et Conradus Trincius, qui Fulginatium habenas tenebat, ſuis rebus diffiſus Coſtam profugit, ubi per filios familia propagata, exul interiit, ut noſter eloquitur Ughellus to.1. Ital. ſac. in Fulginatentium ſerie numero 38.

Neapoleone igitur natus eſt Raynaldus noſter in Oppido paterni dominii Puſtiniano an. 1157. elucebant in puero cum humanioribus ſtudiis literarum ſeneſcentis Viri virtutes,

tes, & præcæteris virginalis pudor, ut nequidem oculorum aſpectu de fœmina cogitaret, quare ut de libidine triumphos omnes reportaret, Virginitatem Deo vovit, & liberiùs in Apoſtolicæ vitæ norma ei inſerviret, amplo dimiſſo fratribus patrimonio, quòd ei ex certis dominiis contingebat, cæteris bonis in pauperes erogatis, abdita Appennini montis petiit, ibique anachoreticæ vitæ percupidus aliquandiù in meditatione cœleſtium chariſmatum delituit; quibus perfuſus ad Monaſterium Fontis Avellanæ convolavit, ubi habitum, Virtuteſque ſimul induit rigidioris obſervantiæ Benedictini Canonis. Ejus ſanctimoniæ fama undique ſparſa Nucerini Cleri animum invaſit, perſuaſitque omnes, ut eum ſibi in Epiſcopum poſtularent, quòd intelligens Honorius III. Nucerinis præeſſe juſſit anno 1218. ut teſtatur Ughel. licet Ferrarius contendat id eveniſſe anno 1222. in Vitæ auſteritate, & Virtutum clauſtralium exercitio regularem obſervantiam. nunquam dimiſit; in regimine paſtorali S. Facundinum deceſſorem ſuum voluit ducem habere. Pauperum amantiſſimus haud ſemel accidit, propriis veſtimentis detractis eos operire:ex ingenti ære ultrò oblato à ſuis conſanguineis apud Foſſatum oppidum Nucerinæ Diœceſis Monachale domicilium extruxit cum æde ſacra Sanctis Apoſtolis Petro,& Paulo, quorum viſibili conſortio, eoque Deiparæ, & Sanctarum Virginum, & Martyrum Teclæ, & Agnetis frequentiùs ſolabatur.Sublimatus ad ſacri Imperii decus in Cathedra Nucerina non opum Eccleſiæ, aut claritudine tituli eminendum duxit, ſed humilitatis, & paupertatis favore per ſingulos gradus paſtoralis officii Chriſtum Jeſum imitari ſtuduit, idcircò Pontificali in Cathedra nunquam ſedit, modico, abjectoque ſedili contentus, ut Chriſtus decumbens per jocum ſalutatus fuit;vel quippè ſtans preces ad Deum fundens Pontificalia munia expediebat: & ſummè ſolicitus ſublevandis egenis, ægris, quidquid ipſi eveniret ex ære Eccleſiaſtico in eos diſpergebat, leproſi non eſt ſtomacatus ſaniem lingua

 lambe-

lambere, quem illicò divina adveniente ope ſanitati reſtituit. En mirabile contigit. Die quadam proximè ad Aram ſolemniter celebraturus panperculum ſeminudum conſpicit, cui ſecretò appropinquans tunicam exuit, eaque hominem veſtivit ipſe ſolo cilicio contentus, quo carnes afflictitabat, magis quàmoperiret,cappa tantum magna tectus, ab Archidiacono minus oblongam aliam veſtem accipit, quare cum elevatis manibus Diviniſſimam Hoſtiam æterno Patri protenderet, oſtenderetque populo adſtanti, brachia plus æquo denudata apparuere, affuere de Cœlo Angeli, qui aurofrigiato ſerico, cunctis admirantibus, operimentum ſuperinduxere. Et ad longè majorem ejuſdem charitatis magnificentiam detegendam, Globus igneus à Divino Flamine immiſſus ſuper caput ſacrificantis apparuit. Et quòd ab alio factum didicerat in obſequium Sacerdotalis dignitatis,excelſi Principis ad menſam cum diſcumberet, ipſe perfecit. Jamque pincerna potum præbet Raynaldo, qui ſatis ea refectus potiuncula, ſubito inter convivas aſſidenti poculum præbuit Sacerdoti, neglecto Principe, qui ſe ad bibendum primus omnium ab Epiſcopo invitandum expectabat. At non modicos ſubivit hominum, dæmonunque incurſus, quos nullo terrore perculſus facilè excuſſit, expolitumque Deo, & animum ſuum, & ſibi commiſſum gregem præſentavit, factuſque reconciliatio in tempore divinæ iracundiæ, non alio marte dimicans, quàm precibus. Friderici Imperatoris aciem ad Nuceriæ devaſtationem properantem retro abire fecit, anno 1221. cum tandem plurima ipſi laus eſſet à paſtorali regimine, à Divini Verbi prædicatione, ab Egenorum ſubſidio, ab Ægrotantium ſanatione, & ſumma authoritate in malos dæmones ab energuminis fugandos die 9. Februarii anno 1222. inter cœleſtes ſpiritus cooptandus terris ſe ſurripuit. Sancti cadaver Cathedralis Beatæ Virgini dicata excepit, quam poſtea ejuſdem nomini tanquam Civitatis præcipuo tutelari conſecrarunt. Multa ſubinde emerſere miracula, quæ Antiſtitis hujus ſanctitatem

Digitized by Google

ctitatem divinitùs comprobarent. Sancto viventi Franciſco eximiè carus fuit, & inter ſeptem illos Epiſcopos delectus à Deo, qui Indulgentiam S. Mariæ de Portiuncula perpetuò à Deo ipſo conceſſam divulgarent. Celebris eſt Sancti hujus apud Umbros memoria, de quo Chron. Gualden. m. s. in Conventu S. Franciſci Gualdii, Durantes Dorius lib. 2. fam. Trinciæ, Vita m. s. ſervatur Nuceriæ deſcripta ab ejus famulo: ſcripſere ejus Vitam, & typis mandarunt Aſſiſii Jo. Theodorus anno 1617. & Peruſiæ Celſus Placidus Bzovius ad annum 1215. n. 6. Ferrarius in Catal. SS. Italiæ ad diem 9. Feb. Et Ughel. in Ital. Sac. t. 1. in Nucerinis num. 19. ibi tamen corrigendus eſt dies obitus, & referendus in 9. Feb.

Hæredem ſuæ Virtutis ſortitus eſt Raynaldus Philippus inter cætera Trinciæ familiæ lumina fulgentiſſimum quippe, qui Rodulphum Oderiſii de Trinciis è Comitibus Antignani, aliorumque feudorum Dominis genitorem habuit, & edoctus quidquid didiciſſet Raynaldus in ſchola Chriſtianæ Philoſophiæ, eum inter ſuperos receptum imitari ſtuduit: Idcirco ſpreto mundo, & domeſticæ ſupellectilis ad mundi illecebras incitamenta in Monaſterio Fontis Avellanæ Monaſticen., & ipſe amplexus eſt. Ubi inter aſperrima quæque regularis diſciplinæ ſe convoluens, & ab omni vitiorum famine ſe integrum ſervans ſolam Dei gloriam in viliſſimis quibuſque humilitatis exercitiis quærebat. Fama, hæc inter, ejus Sanctimoniæ evulgata, à Nucerino Clericali Senatu expoſtalatur Epiſcopus an. 1254. Votis adeſt Innocentius IV. & hanc animarum curam Philippum Monachum ſuſcipere imperat. Nil Clero, nil populo pro Dei cultu, & morum puritate juſſum eſſe voluit, quòd priùs ſibimet non imperaſſet, ipſeque ſuo exemplo perfeciſſet. Sex jam ante annis peractis, Friderici II. Imperatoris, quem olim dejecerat deceſſor S. Raynaldus, ferus miles ſacra, profanaque ſimul cuncta vaſtaverat, Templa, & religioſa quælibet ædificia nedum reſtituit, ſed & in meliorem formam extendit, diſperſos Cives in novam jam ferè

Digitized by Google

Urbem recepit, S. Raynaldi ſui conſanguinei, & deceſſoris Corpus recognovit, & ſub ara majori decentiùs collocavit. Fulginii ut venerabilior eſſet cultus Franciſcani inſtituti, à ſuis tergeminis fratribus de Trinciis ſacram impetravit ædem S. Matthæi, eam quæ nunc excolitur ſub invocatione S. Franciſci, profuſa liberalitate plura tum Monialium, tum Virorum ſacra ſepta juvit. Martyrem, Virginemque Romanam Agnetem, quam pro Virginum modulo impensè coluit S.Antiſtes Ambroſius,& ipſe præcipuis in ſuis Sanctis habuit, in cujus honorem propè Gualdum Templum excitavit, ubi & ipſe terris ereptus ſuum Corpus humari voluit, defunctus eadem die 21. Januarii, quæ Agneti ſacra eſt an. 1285. ut firmiſſimè obſervat Ughel. loc.cit. Ital. ſac. n.15. refundunt alii ex lib. emortuali Fontis Avellanæ ejus obitum in diem 17. Septemb. eam verò 21. Januarii ejus Corporis elevationi adſcribunt. Ea ipſa S. Agnetis Eccleſia de ejus etiam nomine ſub Sancti attitulatione à fideli populo nuncupata eſt,ubi ejus antiquior depicta conſpicitur imago monaſtico habitu cum inſignibus, quæ Pontificem decent, exornata. Anno 1623. Epiſcopus Virginius Florentius ejus Corpus iterum recognovit, deque ejuſdem parte ſacrum Cathedralis Nucerinæ ærarium ditavit. De hujus præclarè geſtis agunt Monumenta Nucerina, Chron. antiquum m.s.Gualden. Durantes Dorius in hiſt.Trincia,Celſus Placidus de SS.Nuceriæ,& Jacobillus: & nos utrique peculiarem Epigrapham damus, cum alteruter ex eodem fonte prodierit Benedictini pelagi.

Claro ò Fulginium
Tuo nitet radio
Nucerina Civitas
Duorum ex te natorum
Irradiata Fulgoribus

Raynal-

Digitized by Google

Raynaldus hic eſt & alter Philippus
Trinciorum inclyta prole
Prognatus uterque.
Qui
Fuga lapſi patriam parentes
Et vana quæ offert gaudia Mundus
De repente procul abigentes
Benedicti delituere in antris
Mox Virtutum reboante fama
Ad Nucerinam compelluntur
Tranſilire Cathedram.
Hiſce Paſtoribus
Quantos veræ pietatis ſenſus
Conceptaverit Nucerinus Grex
Gentilitio ſtemmate ſuo
Quo
Obſignaverat Apoſtolus in Orbem miſſos
Cœleſte enunciavit Numen
Alter
Igneo viſibili Globulo ſignatus in capite
Intimo illuminatus alter in corde.
Probant hæc
Qua claritate niteant
In ſplendoribus Sanctorum.

Celebratiſſimum Fontis Avellanæ Benedictini Ordinis Monaſterium fundari cœpit à Lodulpho Patritio Eugu-

Digitized by Google

Eugulino è Comitibus Pamphiliis, genere, & ſanctitate præſtantiſſimo inter aſpera Montium Diœceſis Eugubinæ, ubi Apenninus ad ſidera verticem tollit, & nomen facit Montibus Caniæ, & de Cornu. Ibi Lodulphus cum quibuſdam ſociis cupiens mundo latere, poſt laborioſas ad ſanctiora Italię loca peregrinationes, conquievit ſecus Fontem, cui incumbebat prægrandis abellinarum nucum feraciſſima Arbor, cujuſmodi virentium, aliorumque fructuum perampla ſylva circumquaque eſt. Potum ea lympha præbuit, cibum nux, & cum Lodulpho ſocii deprecantur Authorem bonorum omnium,ut oſtendat Famulis ſuis, quæ ſit voluntas ejus, & ſubitò de cœlo inſonantem vocem audierunt: *Lodulphe hic tibi habitatio parata, jam tandem labori parce, & itineri*: Tugoriolum ibi ſubſtruxere,& aram dicarunt S.Andreæ Apoſtolo. Tam ſancti incolatus fama erupit: Adveniunt undique Viri, qui peccatorum pondere horum juvamine elevati,ad cœlum iter peragere poſſunt; & hoc quo magis arduum eo ſecurius. Sub Rodulphi magiſterio ejus ſchola à plurimis frequentari cœpta eſt, adveniente Joannis Epiſcopi Eugubini placito,ann. 976.Et quæ rudi primùm opere initia ſumpſit approbante deinde Silveſtro II. Romano Pontifice in caput, & Principem nominatiſſimæ Congregationis S. Crucis de Avellana excrevit ſub Regula S. Caſinatis Benedicti, certis additis Conſtitutionibus, quas partim dictavit S.Romualdus Camaldulenſium primus Abbas, partim conſcripſit ipſe Rodulphus; has deinde, & univerſam Avellanenſem Congregationem ſuis diplomatibus communiverunt ex Cathedra Petri Gregorius VII.Eugenius III. Honorius III. Cœleſtinus V. & Joannes XXII. Et qui Abbas huic præerat Archiſterio, cætera Cœnobia, plurimæ Monachales Cellulæ per Italiam ſparſæ eidem parebant. Lodulphus Vocatus eſt interim ad Eugubinam Sedem, cui & jura dicere juſſus eſt à Sergio IV. invitus avulſus: triennium utiliter cum deſudaſſet circa gregem ſuæ Patriæ miſſionem à Sede Apoſtolica impetravit, &

ad

ad ſuum Eremum reverſus onus reaſumpſit Monaſticæ præfecturæ. Eique ſucceſſere in Eugubina paſtoritia duo ex ſuis diſcipulis Julianus primùm deinde Theobaldus, & ipſe nonagenario major fulgida ſtipatus Monachorum corona loco à ſe optato obiit die 20. Januarii an. 1047. Inter lacrymas diſcipulorum, & gaudia cœlitum perhonorificum reconditorium in ſua Eccleſia obtinuit pio fidelium concurſu pro Divo habitus. Hunc Menologium Benedictinum ad diem 9. Maii dum agit de B. Forti nobili exorto è familia Gabriellia Eugubina, vocat generis, & ſanctitatis Magiſtrum perfectiſſimum. Eum fuiſſe Pamphilianæ geneſis pervetuſta produnt monimenta, quæ indicat Jacobillus t. 1. & 3. SS. Umbriæ cum de hoc Lodulpho ſermonem retexit, deque Congregationis Avellanæ origine, & progreſſu eloquitur, & nova, veteraque fideliſſima documenta profert, quibus Pamphilianum genus è Germania deductum in Italiam probat Carolo Magno Regnante, & in Umbris conſediſſe, habuiſſeque cum opibus plurimis illuſtres feudos, illudque idem incorrupta ſemper linea eſſe, quòd Vaticano Vertici Innocentium X. conſignavit, & de cujus latere prodit, & elucet modo Pamphiliorum Principum Romana gens, pietate præcipua erga Deum, Religioſos, Ordines, & pauperes coruſcans, ut plurima loca Deo ſacra ab ipſis inſtructa in ævum teſtantur: & hunc Divum ut ſuum præcipuum tutelarem venerantur ſacello in ejus honorem erecto, & dotato: & in ejus peculiare obſequium Congregatio, quæ S. Crucis de Avellana edicitur, de Columba etiam nuncupata legitur ab inſigne B. Ludolphi gentilitio, columbæ videlicet Virentem Olivæ ramuſculum geſtantis, cui in ſtemmatæ ſuperadduntur lilia tria ex largitate Caroli Magni. Sed de eo in Epiſcopis Eugubinis fuſiùs agimus. Protulit hoc Monaſterium, ejuſque Congregatio plurimos illuſtres doctrina, Eccleſiaſtica dignitate, & Sanctitate Viros, hos inter celebratiſſimus eſt S. Petrus Damiani, qui Prior Generalis fuit S. Crucis de Avellana, Vir ſanctus, & doctiſſimus,

mus, qui fama Virtutum apud omnes inclaruit, & pro univerſalis Eccleſiæ levamine Epiſcopus ſalutatus Cardinalis Oſtienſis fulgores Purpurę nitidiores fecit Monachali trabea.

B. Joannes eodem Trinciorum ſanguine procreatus Monaldi filius è Comitibus Puſſignani,& Antignani Adoleſcens adſcriptus Clero,Canonicatu donatus eſt in Nucerina Cathedrali: pietatis exercitia adeo colere viſus eſt omnibus, ut jam morte ſublato Epiſcopo,omnium plauſu eidem ſuffectus fuerit, poſtulatis Cleri, populique conſentiente Nicolao IV. 9. Kal. Septemb. an. 1288. Religioſos Ordines amantiſſimè fovit, iiſque plurima privilegia indulſit, excitandiſque plurimis, Virorum, & Virginum cœnobiis ſuam manum ſedulò appoſuit; S. Franciſcum quàm maximè coluit, ejus alumnos introduxit in Gualdum, S. Mariæ de Miſericordia eis attributa Eccleſia. Cæterùm tanta ſanctitate ſuam rexit Eccleſiam, ut ejus memoria, cum deceſſiſſet die 31. Januarii an.1327.fuerit à fidelibus inter Cœli Cives celebrata,ſepultus, ut ipſe mandaverat, apud deceſſorem gentilem ſuum B. Philippum in Eccleſia S.Agnetis, Beatique Philippi extra, & prope muros Gualdi: Anno deinde 1623. fruſtulum ejus Corporis, & B.Philippi inde ſublatum, in Cathedralem Nucerinam aſportatum fuit;ubi in ſumma eſt Veneratione.Contendunt nonnulli ex Monacho S. Crucis de Avellana ad Epiſcopatum aſcendiſſe, aliter pronunciat noſter Ughel.t.1. Ital. ſac. in Nucerinis numero 27. edoctus à Regeſt.Vatic. in quo legitur à Nicolao IV. ex Canonico Cathedralis Nucerinæ poſtulante Capitulo delectum fuiſſe an. 1288. Succeſſorem pari ſanctimonia celebrem habuit B.Alexandrum Vinciolum Peruſinum Ordinis Minorum Joannis XXII. Pęnitentiarium, qui ſuis precibus contagioſam luem undequaque graſſantem à Nucerina Civitate, Saxoque ferratenſi territorio depulit. Sed, & Fulginium eodem tempore, quo Nucerinis præerat Joannes, animarum Paſtorem habuit Berardum ejus germanum fratrem ex Cathedralis Eccleſiæ Priore, quo Antiſtite

magnum

magnum ſenſit pietatis augumentum acceſſione trium puellarum è podio Caſtello, quæ ſubſtructo Monaſterio de Virginitate benè merendi Fulginatibus occaſionem præbuere,ut mox dicemus. De Joanne præclarè ſcripſere Celſus Placidus de SS.Nuceriæ, Jacobillus de SS.Umbriæ t.1. Ejuſdem meminit Wadingus, t. 2. ad an. 1283. Atque è Trincio germine cum plures poſſent nominari, qui prodierunt variis exinde orti familiis magnis tit ulis, & ditionibus aucti, inter Fulginates Epiſcopos recenſentur etiam, Is fuit Paulus Nalli, è Trincia gente huic attributus ovili anno 1326. quo auſpice Fulginii Monaſterium Monialium S. Luciæ ſub D.Auguſtini moderamine ædificari cœptum eſt: Olivetani Monachi intra Urbem excepti ſunt in Eccleſia S. Nicolai: A Conradino Rinalducci è Trincia pariter gente Priore Collegiatæ S. Salvatoris,& Canonico Cathedralis magnæ authoritatis ſocietas charitatis inſtituta eſt in eo ſacello, ubi B. Petrus Creſcius ad piorum opem requieſcit. Xenodochium infirmorum pauperum ampliatum. Eodemque Paulo agente Ciſtercienſibus florentiſſimæ per id tempus obſervantiæ Monachis Sanctæ Crucis de Saxovivo Monaſterium attributum eſt, annuente Benedicto XII. Ciſtercienſium quondam alumno,qui ibi laudabiliter tandiù commorati ſunt, donec (ut tradit Ughel. Ital. ſac. loc.cit. n. 30.) Commendatariis Cœnobium occupantibus,ex pauperiori menſa ſunt demigrare coacti: Floruit eodem tempore B. Paulus Trincius Ordinis Minorum, cujus peculiare ſcripſimus Elogium: Hanc itidem ſeriem exornavit Honuphrius Trincii filius Fulginii Domini, qui cum eſſet Prior Collegiatæ S. Salvatoris, Patriæ Paſtor ſalutatus eſt anno 1397. hic inchoando, provehendoque Cœnobio S.Annæ Monialium Tertii Ordinis S. Franciſci adjutrices manus appoſuit. Fulginio in ſacris dominatus pariter eſt Jacobus Berti ex Elmia Fulginea gente, qui generis nobilitati, claritudinem probitatis mirabiliter conjunxit: Is benignè excepit quinque è Sulmona Mulieres, quæ curante Cunrado Trin-

cio, & agente Jacobo Epiſcopo incrementa dedere Celebri S. Luciæ Cœnobio Ordinis S.Franciſci: Item Fulginium advocavit Fratres Auguſtinianos Peruſinæ Congregationis, qui dudum ad priſcorum Patrum normam ritus revocaverant ſuos, eiſque attribuit Eccleſiam S. Nicolai, quam paulò antea Olivetani Monachi dimiſerant. Trinciæ familiæ Durantes Dorius perpolitè hiſtoriam deſcripſit; quas Dynaſtarum nobiliſſimas tum in ſacris, tum in prophanis coronas Fulginio congeſſerit refert: Univerſalis Eccleſiæ bono contribuiſſe inter Vaticani Verticis Senatores Lucinum, ſeu Lucianum Nalli Trincii filium tit. S. Euſebii Presbyterum Cardinalem S. Leone IV. Summo Pontifice, & Pontificante Innocentio III. Jo. Dominicum filium Oderiſii Comitis Trincii, & germanum fratrem Joannis Epiſcopi Amerini, ex Dorio tradit Ciaconianum opus, cui adſtipulatur etiam Jacobillus.

Sed poſt Sanctos, Beatoſque Viros, quorum cultum Eccleſia vel proponit, vel ſuſtinet inter Fulgineos Præſules Fulgorem Virtutum innumerabilium ſeſe adminarandum præbet Iſidorus ille à patrio ſolo Brixienſis Diœceſis Clarius cognominatus, qui humilitatem natalium illuſtravit primùm Monaſtica apud Caſinates profeſſione, mox præclarior Anachoreticæ obſervantiæ laude: Literarum cultor Hebraicè, Græcè, & Latinè ſeveriores diſciplinas interpretatus, ſcientias, omneſque artes liberales honorificentiores in ſe ipſo reddidit, & Abbatum cœtui adſcriptus Cæſenatenſis Aſceterii dum eſſet Archimandrita à Paulo III. Maximo, Optimoque Pontifice ad hanc Fulginatenſem Cathedram, ut inde magis Orbi luceret, vocatus eſt: oportunè temporibus illis datus à Deo, quibus cum aliis ſanctis Epiſcopis noviter exurgentibus hæreſum alluvionibus opponeretur, quare, & in Tridentina Synodo, & ſcriptis ſuis præclarum dedit Catholicæ fidei teſtimonium, adeout apud pleroſque cordatos Viros nominatiſſimus ſit Fulginas Iſidorus Clarius, cujus præcelſam in ſcribendo mentem celebrat noſter Ughellus loc.cit.

Digitized by Google

loc.cit. Ital.ſac. n. 48. Nec ideo paſtorale negotium unquam tranſegit, Divini Numinis cultum, animarumque ſalutem in omnibus extollens; ſed & pauperibus refovendis omnes Eccleſiaſticos cenſus attribuens, omnem omninò à ſe abiiciens propinquorum cognationem, ne ex ſtipe Eccleſiæ meliorem haberent in humanis ſortem, quare & ad ſe nepotem recurrentem, ut vel modicam penſionem conſequeretur, modico elargito Viatico remiſit ad propria. Duodecim-Viratum ad Egenorum levamen, quem S. Martini Vocant, Fulginii inſtituit. In publicum Civitatis Senatum multoties penetrabat, ut primores illos Viros ſalutaria admoneret, & à vitiis abſterreret. Deiparæ Virginis non ſine miraculo per omnia cultor eximius pretium perſolvit mortalitatis die 28. Maii anno 1555. ſuavem ſanctitatis odorem poſt ſe relinquens.

Beati ex Ordine Minorum
Fulginatenſes Viri

THOMAS MARTYR,

CONFESSORESQUE

ERMANUS, LEONARDUS, MARTINUS
MATTHAEUS.

ELOGIUM XIX.

Clara Cœli Soboles
Franciſci
Seraphico edita partu

Thomas
Ermanus Leonardus Martinus Matthæus
Ad decus Fulginii
Quæ
Cœli nitet radio.
THOMAS
Martia trophæa ſuſtulit
Cruento inauguratus
Cum Martyrii purpura floſculo
Corollas ſibi nectunt cæteri
Complicatas Virtutum candicantibus liliis.
Sic Patriæ ſplendorem
Æterno Soli
Simul conglomerare certant
In gloria Sanctorum.

Notæ.

AD arma nequitiæ jam iterum proſilientem Mundum frigeſcēte Chriſtiana charitate norunt omnes iterum etiam perdomuiſſe Deum excitato igne ſui Spiritus in Aſſiſienſi Franciſco: Hic ſua Inſtitutione dum innumeros germinaret Eccleſiæ fructus è vera Chriſti Cruce pendentes, nitidiſſimos peperit Cœlo è Fulginatenſium ſolo. In Fulgineam Civitatem cum adveniſſet exoratus à nobili Viro Petro Hermanno, ab eodemque in propria domo exceptus, Fulginii in eo loco, qui nunc S. Franciſci attitulatur, ab ipſo Petro

Digitized by Google

Petro ſibi elargito ſacram ſubſtruxit ædiculam, & modicum ſepimentum ad ſui inſtituti profeſſores excipiendos ſubſtruxit: quòd ſanè divinum opus ad ſummum decus deinde excrevit, Fulginatium adjutrice manu liberaliter interveniente, ut de his alibi eloquimur. Petrus verò pro ſe, ſuaque familia perpetuam benedictionem à S. Patriarcha obtinuit. Quòd equidem feliciter contigit, nam ſucceſſivis temporibus incendiis, aliiſque infortuniis ea Vicinia divexata, impunè ſervata eſt Hermanni Domus. Huic Tutelari Divo natum ex ſe Hermannum de Hermannis nuncupatum obtulit Petrus vigeſimum ætatis annum agentem, Chriſti Domini 1213. brachiis ſuis complexus eſt juvenem Franciſcus, ſibique adſcripſit, & ſuæ militiæ teſſera ſignavit: tam bellè ſarcinatus quadraginta tribus annis religioſi bajuli officium ſuſtinuit in explendis quibuſque arduis Ordinis ſui oneribus. Obiit magna cum fama ſanctitatis in ſuæ Patriæ Conventu die 8. Feb. an. 1256. Corpus multis miraculis claruit: quod aliquando cum reſtauranda eſſet Eccleſia ſui Conventus elevatum fuit, & pro forma depoſiti collocatum in Cathedrali eſt honorificentiori in tumulo, manna inde cùm diù ad ſanitatem gentium emanaſſet, evolutis mox temporibus, & deperdita loci ſepulchralis memoria, in occulto ſinu Cathedralis hactenus ſervari traditio fert. De eo Bartholomæus de Piſis lib. Conformit. Vitæ S. Franciſci, Jacobus Oddus in ſpecul. Ord. Min. Marianus Chron. Ord. Wading. ad an. 1256. Daniel Petrus Catal. BB. Ord. S. Franc. Martyrol. Franc. ad diem 8. Feb. Jacobillus, &c. Extincta nuper eſt hæc de Hermannis familia, quæ ſacris Aris hominem dignum promeruit, peperitque alios literis, equeſtri, & Eccleſiaſtica auctoritate præcipuos, quos inter laudatiſſimus eſt apud noſtram Ughellum t. 3. Ital. ſac. Blaſius, qui devixit Epiſcopus Cluſinus anno 1418.

Dum Fulginii in extructo jam dudum Cœnobiolo decumberet S. Franciſcus Corporis infirmitate gravatus, ad ejus præſentiam ferbuit in plurimis Fulginatium ſpiritus ejuſdem

in

Digitized by Google

in exercitiis veræ pietatis, & Leonardus adoleſcens nobiliter natus ſpreto ſeculo ad pedes Franciſci convolavit, ejuſque Inſtituti viliſſimis pannis circumvolui voluit; quæ Chriſto juraverat implens, & ad omne bonum arduum expeditè currens, Privernum Campaniæ Urbem venit, ubi totus incumbens dum eſſet Regularibus Obſervantiis, & proximorum ſaluti, adeo ejus ſanctitas à Deo manifeſtata fuit, ut ad ipſius manus impoſitionem, cæci viſum, claudi greſſum, & infirmi ſanitatem recuperaverint; exceſſit in ejus loci S. Laurentii Conventu die 10. Feb.an.1290. ætate grandævus 88. annorum. Corpus ſub Ara majori uſque nunc veneratur, cujus Urnæ hæc appoſita legitur marmorea inſcriptio. *Corpus B.Leonardi de Fulgineo ſocii S.Franciſci ſub hoc Altari requieſcit*. Agit de eo Toſſignan. in Catal. SS.Ord. Seraphici Wadingus ad an.1224. & 1241. Chron. Ord.Julius Annæus in Dial.de Priver. Jacobil.&c.

Cum ſuaviſſimus odor ſanctitatis nuper defuncti apud Umbros Franciſci, & illicò in Sanctorum numerum adſcripti Orbem Chriſtianum impleret, confluerentque undique ad ejus Religionis Emporium utriuſque ſexus fideles,B.Martinus apud Fulginates modico natus parente Seraphicę ſcholæ Alumnis ſe adjunxit in Patriæ Cœnobio anno 1234. Fratres inter laicos infimum locum tenens. Recluſus in Officina Sutoria Fratrum tegumentis quotidiè reſarciendis cum quadam die totus eſſet intentus, ſpiritus ejus ut probaretur, à provectiori Religioſo verbis his expetitus fuit: *En frater Martine longiori abſumeris tempore nimia implicitus ſolicitudine in his viliſſimis tegumentis ſive ſuendis,ſive reſarciendis: ut pretioſi ratio temporis expoſcit, melius foret preces ad Deum fundere, & divinorum meditationi Vacare: quòd equidem eſt optimam partem eligere*. Admirabili vultus ſerenitate reſpondit Martinus. *Mi frater: Quòd cernis me implicans opus, charitatis eſt, quæ nunquam langueſcit, & proprium ipſius Dei eſt, hanc ſemper reſpicere: Noſtinè ad eamdem ratio-*

rationem preces , & meditationes hominum ſemper accommodari in conſpectu Dei ? Sed & in his , aliiſque virtutibus profuſus Martini animus miraculis plurimis illuſtratus ad Sanctorum Beatitatem tranſvolavit die 15. Martii anno circiter 1256. Corpus excepit Fulginatenſis S. Franciſci Eccleſia, in cujus ſinu latet. Imago rutilans in parietinis ejuſdem Templi Viſebatur ſigno Crucis fæminam à paralyſi , & dæmonum inſultibus liberam faciens . Recolitur hujus memoria in Martyrol. Franciſc. nec non apud Marianum, Wadingum , Toſſignanum, Jacobum Oddum, alioſque à Jacobillo allegatos.

Sua , quem pretioſa morte illuſtraverant annum 1256. BB.Hermannus , & Martinus , felici pariter exitu irradiavit die 26. Decembris B. Matthæus Fulginas , qui in eandem ſortem vocatus à Deo anno 1239. inter Franciſci ſodales ſeptendecim annorum arctiſſimæ religioſæ exercitationis vitam duxit . Noviſſimum diem expectant ejus ſacræ cineres in Fulginea S. Franciſci Eccleſia , ſed & ſoli Deo tumuli locus cognitus eſt. In Martyrologio Franciſcano vita , & ſignis admirandus proclamatur , nec reticent ejus laudes Gonzaga, Oddus , Toſſignanus , Wadingus ad an. 1256. aliique apud Jacobillum.

Ludovicus Caroli Hungariæ Regis filius cum Regni hujus habenas, arripuiſſet , gentem ſibi commiſſam ſchiſmatum erroribus , & hæreſibus conſpurcatam proſpiciens perpolitam limpidiſſimo Romano Dogmate , veræ voluit agnoſcere mancipatam Religioni . Ad tantum opus plures diverſorum Ordinum Religioſos adſcivit , ſed & præcipuè ex Ordine Franciſcano delegit . Quare datis literis rogavit Fr. Gherardum Odonum Miniſtrum Generalem Minorum , ut è ſuo gremio mitteret lectiſſimos Viros, qui prædicatione, & vitæ ſanctimonia fortiter irrumperent contra ſinceræ fidei perverſores . Tanti operis perficiundi , quos dignos , idoneoſque agnoſceret decem è ſuo Collegio delegit Minorita Gherardus , quos inter adnumeravit Thomam apud Fulgi-

nates

Digitized by Google

nates nobili genere natum anno 1309., qui ab ipſa pueritia pietatis exercitiis literarum ſtudia cum junxiſſet, nil aliud præter Chriſtum, & hunc Crucifixum ſapere cupiens, tres, & viginti annos natus in diſciplinam Franciſcani Ordinis ſe tradidit, & præ humilitate, ut vilioribus in miniſteriis ſe totum implicaret, inter laicos connumerari exoravit. Divinæ vocationis gradus expeditè tranſiliens unus ex decem Viris adlectus fuit, quos ad preces Ludovici Regis Minoritarum Generalis Miniſter in Hungariam, aliaſque Provincias Regno illi adjacentes miſit. Iis in locis à paucis his operariis nonagintamillia Acatholicorum ad Romanæ fidei profeſſionem illicò adducti ſunt, erectis, quaſi propugnaculis contra dæmonum inſultus, triginta ſex Seraphici Inſtituti aſceteriis ann.1542. Cum magno deinde ſucceſſu Boſniam, & Bulgariam ſuo ſceptro ſubjeciſſet Ludovicus anno 1366., ut in his cervices inflecteret Apoſtolico dogmati reluctantes, alios impetravit Minoritanos Fratres, qui rem proſperè agerent armis Evangelicæ prædicationis, quibus cum aſſociatus Fulginas Thomas mirabili ſapientia, & vitæ religioſiſſimæ exemplis adlaboravit. Dum Provincias luce Divini Verbi luſtrantes hi religioſi Viri apud Bidinum Myſiæ Urbem ad Danubium ſummo cum infidelium, & fidelium fructu detinerentur, facto armorum impetu in ſchiſmaticorum, & hæreticorum poteſtatem, ea Civitas miſerrimè cecidit, horum pſeudoſacerdotes ægreferentes eorum caliginem perfundi luce veræ Religionis, Minoritas Fratres in odium fidei obtruncarunt, & in hos dirè ſevientes Fulgineum Thomam Martyrum coruſcantibus choris adjunxerunt die 12.Februarii ann.1369. Confeſſionis hujus roſeum decus aurea luce comprobavit Deus, & Angelorum choreis, quorum perterritus aſpectu impius eorum Rex, Baſſarat nuncupatus, immobilis ſtetit, & dum propiùs Purpuratorum ſacra corpora cernere percuperet,à Cęleſtium Numine ceu Cherubim ſtricto gladio procul recedere juſſus eſt, & Danubii fluenta exuberantia

Digitized by Google

berantia in ſuum ſinum attraxere Martyrum conciſa membra, & depoſuere marmoreis in monumentis Angelorum manibus præparatis. Horum egregia acta recenſent, præter antiqua m.s. documenta Fulginii. Chron. Ord. Min. Wading. ad an.1323. 1366., & 1369. Bzovius ad ann.1370. Gonzaga, ubi de Prov. Hung., & alii apud Jacobil., qui prolixè de Thoma ſcribit.

Novi ſideris indicio Tribus Puellis innoteſcit Fulgineum ad cælum iter.

ELOGIUM XX.

Orbibus Ætheriis advenis ſignatur Regibus
Regis Regum
Chriſti Dei natale ſolum.
Pari triumpho nobili
Exultat Fulginium
Solis coram radiis
Sidere ſignatum novo.
Heroum glorioſiſſimos tergeminos
Duxit Divinum ad præſepe Sapientes
Inter cimmerias Gentium tenebras
Fax una cæleſtis.
Qui

P *Aurum*

Digitized by Google

Aurum Thus Myrrhamque donantes
Didicere
Æternum ætatis uſura
Hemiſpherii attingere metam.
Aſt hi
Lumine labuntur ſuo
Lumine victi Fulginii
Magnum in Empyreo Regnantem
Dum perquirunt
TERGEMINAE VIRGINES
Signat callem Fulginii
Sole clarior novus Orbis Æthereus:
Illi ſalutant Deum Hominemque Mortalem
Et dum offerunt
Erepta munera terris
Inſinuant plauſus Dominatori terræ.
Majus tenuere gloriæ faſtigium
Tria Lilia
In Orbem circumſepto
Qui paſcitur inter Lilia.
Et ſimul thalami celebritate
Virgineas nuptias dum complent
Nobiliſſimæ Fulginates Heroinæ
Sacra vivificæ Crucis
Excitata mole
Ibi Virgineos agglomerare choros

Ubi

Digitized by Google

Ubi illibatas duceret choreas
Docuere Fulginium.

Notæ.

LUCIDAM Stellam, meridiano lumine haud obnubilatam, agnovere ſibi cœlitùs datam ad viam æternæ ſalutis, Divinæque voluntatis indicium Tres Puellæ è Caſtro Podii Vallis Topinæ Fulginatenſis Diœceſis, quarum nomina digna, quæ reperiantur ſcripta in libro vitæ, ſunt Jacoba Jacobi filia de Offreducciis, Joanna Joannonis item de Offreducciis ejus conſobrina, & Joanna Joannuccii anno 1286. Hę ſiquidem, ut eloquitur noſter Ughellus in Fulginatenſium Epiſcoporum Catalogo n.27. Virginitatem, moreſque ſanctiſſimos excolere ſunt aggreſſæ; cum anxiè deprecarentur; ut præclaro incæptui divinum auxilium propiùs adeſſet, viamque monſtraret audentibus; In meridie ipſo ſidus obortum eſt præ Sole refulgens, cujus ductu ad muros uſque Fulginii pervenerunt Puellæ, intellexeruntque ibi locum ſibi fuiſſe paratum à Deo, in quo ex Divinæ voluntatis arbitrio omnem vitæ partem moderarentur: nobilem conatum juvit deinde Epiſcopus, (is Berardus erat ex Comitibus AntignanisJoannis Epiſcopi Nucerini germanus frater) ædificatoque Monaſterio primùm, mox Templo fundato, intra illius ſepta ſub temperatione, cultuque Auguſtiniano Virgines Deo Votas lætanter excepit an. 1292., deque Sancta Cruce priſci nomen fecere: ſanè laborum præſagium, qui exantlaudi forent ab iis, quæ illuc religionis cauſa, caſtitatiſque ingrederentur. Efferbuit in dies Virginum fervor eximiæ regularis obſervantiæ,& charitatis erga Deum,uſque dum Sancto fine mercedem itineris in requie Sanctorum

 invene-

Digitized by Google

invenerunt. De his Herrera in alfabeto Auguſt. parte 2. pag. 266. Hiſt. SS. & BB. Fulgin. Jacob. t. 3. fol. 380. Viget uſque nunc hoc Sanctimonialium recluſorium, & Sanctæ Crucis adiicitur etiam S. Mariæ nuncupatio, ejuſdemque feſtum ſolemne eſt ex apparitione Stellæ, illud, quòd Eccleſia Univerſalis Dominicæ Apparitionis ſub nomine Epiphaniæ celebrat.

B. JULIANA FULGINAS
Ordinis Servorum B. M. V.
ELOGIUM XXI.

Patriæ Parens
JULIANA
Indubio Augurio
Sacra cæleſtis Famulatus
Fundamina jecit
Quibus nitidiſſima illuceſceret
Felicitas Fulgineo Solo.
Ingenitum ſibi Votum
Propitio ut fortunaret aſtro
Æternis literis teſtatam
Ancillam Domini
Rerum Dominam
Clementiſſimam Chriſti Matrem

Patriæ

Digitized by Google

Patriæ & ſibi
Perpetuo ut præſidio preſtò eſſet
Magnæ Ancillæ Dei Ancillaturis
Arcem extruxit
Aſylum aperuit.
Quarum ſtipendium foret
Quo in Orbe
Haud dignus alterum
SERVIRE DEO
Quod Regnare eſt.
O Par Beatum!
Quam bene in una eademque ſede morantur
Servus & Dominus.

Notæ.

SERVIS B. MARIÆ recens ortis cum ſe in ancillas ejuſdem Sanctiſſimæ Deiparæ Virginis ſe adjunxiſſent Moniales, has inter in ſua Patria adſcribi voluit Juliana Fulginas, conſtructo ad eaſdem excipiendas regulari domicilio ſecus ſacra ſepta S. Jacobi Virorum ejuſdem Ordinis anno 1290. illos cum ad pietatem excolendam unicè factos agnoviſſet Fr. Paparonus, de Paparonis nobilis Romanus ex Ordine Prædicatorum Fulginas Epiſcopus in ſuam Civitatem vocaverat anno 1273. Tranſmigrarunt deinde à Julianæ inſtitutæ Virgines anno videlicet 1314. tanquam in commodiorem locum in aliud ſub titulo S. Joannis Baptiſtæ, ſed hinc ob pauperiem recedere compulſæ, copulatæ ſunt Monialibus

Digitized by Google

libus S.Mariæ de Populo, ubi S.Dominici Virgines alebantur an.1444. quòd equidem Monaſterium, cum altero S. Mariæ del Verde ingentis animi Epiſcopus è Cajetana gente Anagninus propiori affinitate attingens Bonifacium VIII. propriis ſumptibus fundaverat anno 1295. Bartholomæus, Monachus antea, & Abbas Sublacentis. Obiit Juliana Sanctimoniæ laude inſignis, quam antiquiora monimenta Sanctitatis titulo decorant, de qua Herrera in Alfabeto Auguſt. Torellus de viris Illuſtr. Ord.S.Aug.& Jacob.t.3.pag.380.

B. ANGELA VIDUA, ET PASQUALINA VIRGO

Tertiariæ Ordinis Sancti Franciſci Fulginates.

ELOGIUM XXII.

Te defixum teneat ſupernus ſtupor
Fulginium
Geminum tuo de tellure
Surgere ad cœlum ſidus
Conſpicere
ANGELAM & PASQUALINAM
Magiſtram illam Alumnam alteram.
Utraque eſt

Lux

Digitized by Google

Lux alma decuſque tuum.
In his
Junctus Amor idem Seraphicus ardet
Sub Tertiariarum Franciſci cultu
CRUCIFIXO JESU
Pari ſorte devinctus
In cujus Patientis agone
Aſperrimo commercio
In Axe Crucis micant ambæ.
Hoc tamen in Angela admirabile
Quòd ſupernè edocta
Sapientiam omnem didicit Sanctorũ
Et documenta Virtutum
In alios tam bellè diffudit
Ut cæteras inter laudes
Magiſtra Theologorum
Piiſſimè proclamata fuerit.
Paſqualinam attollit ſuperis parem
Angelica Virtus
Et idem in Utraque
Nitor cæleſtis radiat.
Hinc
IN SPLENDORIBUS SANCTORUM
Fulgidior ſemper eſt
Fulginii Fulgor.

Notæ

Digitized by Google

Notæ:

ANGELA nobili ſtirpe Fulginii orta anno 1249. ab infantia Deum amare cœpit,& ex genitorum placito conſenſit nubere, filioſque ſuſcepit; mox viro, & filiis orbata, emiſſo caſtitatis voto, mulieribus tertiariis S.Franciſci ſe junxit. Tanto divini amoris æſtu ejus mens flagrans erat, ut in rerum cœleſtium meditationibus perfuſa Angelicis virtutibus, cœlitùs edocta fuerit ſacrorum Bibliorum, & omnis ſapientiæ documentis: quare cum eam eruditiſſimi quique ad miraculum in Divinis excultam agnoſcerent, Magiſtram Theologorum quandoque appellare non dubitaverint, & matrem multorum filiorum ſpiritualium, quos æternæ vitæ monitis in viam ſalutis dirigebat: & hos inter materiam dedit B. Petro Creſcio nobili laico Fulginati ſanctiſſimè præterire has mundi illecebras, & ad gaudia Paradiſi tranſvolare.Profuſa ad Deum oratione,meritis S.Franciſci, ſcientiſſimum, omnique probitate præditum ſibi à ſacris confeſſionibus virum concedi expoſtolavit, qui ejus probaret ſpiritum, ſubiiceret Deo, & præficeret ſummo in rationis imperio reluctanti ſenſuum normæ. Affuitque ei Venerabilis vir ex Franciſcano moderamine Fr.Arnaldus.

Arnaldus iſte inter Umbros natus Fulginii denatus eſt, cum primęvũ Franciſcanum Inſtitutum exactiſſimè ſervaſſet, die 17. Junii anno 1313. cujus ſub titulo Beati ſui Ordinis Martyrologium memoriam recolit, laudibuſque exornant Wadingus, aliique ex Jacobillò. Magno dum eſſet auxilio in decurſu Evangelicæ perfectionis B. Angelæ, hæc à Deo intellexit: pergratum ſibi eſſe Arnaldum: & quippe fore Beatum inter cœlites perdidiciſſe potuit. Hunc Bonifacius VIII. eximie dilexit, & Lectorem adhibuit Palatii Apoſtolici. Ducem ſibi cœlitus datum cum accepiſſet Angela Arnaldum, admirabilior apparuit in religioſæ virtutis, & auſterioris

vitæ

Digitized by Google

vitæ exemplis, quibus animarum hoſtis percitus rigidiſſimis tentationibus eam divexavit, quas voluntariis ſui corporis cruciatibus ſuperare ſemper ſtuduit: ſed divina gratia ſuffragante jugiter reficiebatur Chriſti Jeſu præſentia, in cujus vitæ, & præcipuè patientis contemplatione, multis revelationibus, & cœleſtibus viſis decorata fuit, adeòut ſuperno illuſtrante numine, libros conſcripſerit divinę Sapientiæ refertos: In orationibus eo æſtuabat ſuperum ardore, ut ejus vultus ſæpius radiare viſus fuerit fulgidiſſimo deſuper ſidere adſtante: denique vitæ curſum complevit longiori, intolerabilique morbo patientiſſimè ſuperato die 4. Januarii anno 1309. Ante, & poſt obitum miraculis claruit. Corpus in Eccleſia S. Franciſci à Fulginatibus, & extero confluenti populo ſumma veneratione expoſitum colitur. Cœlitis hujus exactè geſta deſcripſit Arnaldus ejus Confeſſarius: alios Egregios ſcriptores habuit, iique ſunt, Ubertinus de Caſali Minorita prologo 1. lib. 1. Arboris Vitæ Crucifixi ipſius còètaneus, quam hac extollit epigrapha. *Reverenda Mater, & ſoror Angela de Fulginio, quæ verè Angelicam vitam duxit in terris*. Fr. Marianus ejuſdem Ord. to. 3. cap. 3. Chron. Min. de eadem hæc recitat: *Beatiſſima Angela de Fulginio Miraculis clara*. Antonius Sillus in Chron. Tertii Ord. cujus erat Generalis cap. 1. in catalogo Beatorum, & Sanctorum titulo Sanctitatis exornat. Maximilianus Sandæus Theologiæ Variæ Comment. 19. de ea hæc pronunciat: *Piiſſima Matrona Angela de Fulginio Theologorum Magiſtra, cujus ſapientia, quæ ei divinitùs donata, Evangelicæ perfectionis ſtudio, ſecretorum divinorum notitia, divinis Viſionibus clara, & à Deo illuminata fuit*. Jo. Molanus in Mart. in additionibus ad Uſuardum, in faſtis SS. Belgii, & apud Ferrarium in Catal. SS. Italiæ; Martinus del Rio, & Wadingus Beatitatis, & Sanctitatis attitulatione eam decorant, & à Populis communi eloquio Beata Angela adnuncupatur. Fr. Marcus Ulliſſiponen. in Chron. Ord. Minor. parte 2. lib. 7 c. 6. uſque

Q ad 17.

Digitized by Google

ad 17., Valerianus lib.5. de Fœminis SS. Ord.Min., & alii à Jacobillo allegati, qui in additionibus ad 3. to. pag.462. ex Chron. Bordoni cap. 33., & cap.38. Tertiarii Ordinis Conventum recenſet ſub nuncupatione Angelæ Fulginatis fœminæ ſanctiſſimæ,&c., ejuſdemque meminiſſe Martyrologium Germanicum die 4. Januarii, Silveſtrum Mauroliſum lib.4. hiſt. Religionum, & Gonzagam, aſſerere hanc Angelam per duodecim continuos annos ſacra tantùm Euchariſtia contentam fuiſſe. Sed & præcipuè in literis Apoſtolicis Pauli III. perpetuæ indulgentiæ emanatis an.1547. pro Viſitantibus Fulginatenſem Eccleſiam Fratrum Min. in feſtis SS.Ord., & ſignantèr enunciatur S.Angelæ de Fulginio.

Procumbenti Angelæ ſplendidiſſimo adfuit charitatis officio B.Paſqualina Virgo prænobilis inter Fulginates, quæ ſimul cum ipſa ſeculi ſciſſo luxu quaſi tumulo obvoluit ſe cineritio cum Angela amictu, cujus cœleſtis magiſterii præclariſſima alumna haud diſpar fuit in excipiendis ſupernorum Chariſmatum alluvionibus, jugiter detenta in Jeſu Chriſti Domini cruciatuum meditatione ſuaviſſima, ad æternam requiem evolavit fruitura glorioſam cum ſua Magiſtra die 4. Febr. poſt ejuſdem deceſſum anno quarto, Chriſti Domini 1313. Miraculis, & poſt obitum celebris, corpus apud B. Angelam reclinatum fuit. De ea Martyrol. Franc. Gonzaga in Catal. BB. Franciſc. De Buſtis in Roſario quadrageſimali, & ii, qui de B. Angela eloquuntur.

B. ALA-

Digitized by Google

B. A L A N U S

Ordinis S. Benedicti Abbas, & Saxovivenſis Monachus.

ELOGIUM XXIII.

Natus Viennæ Auſtriæ denatus Fulginii
Corpore puſillus Virtute
MAGNUS ALANUS
Patriam liquit ubi odioſam incitatur ad vitam.
Fulginium venit
Ubi feliciſſimam Sanctorum invenit.
Nec indotatus venit.
Splendorem generis & fortunarum copiam
Spontè linquens
Almifici Benedicti Monaſticen induit
Et omnem ſapientiam didicit.
Saxovivenſe Archiſterium Aſcetam allicit
Et in hoc ſaxo firmiſſima veluti in petra ſiſtitur
Cœlitum agminum magnes factus
Divinum cor una ſecum trahit.
Genus Patriã & omnem doctrinæ opinionẽ tegit
Eadem pietate detegit
Cum implicitas lites jurgiaque dæmonum

Q 2 *Expli-*

Digitized by Google

Explicit, & conſternit
Oraculum Sapientiæ
Propugnaculum fidei.
Miraculum Eccleſiæ
Beguardorum hypochriſi impuritate hereſibus
Proſciſſis in Concilio Vienneſi
Clementis V. & Patrum applaudente Corona.
Dignum Caput
Quod ſuffulſit Templum Dei
Rabie hoſtium concuſſum
Sacro Saxovivenſi à Pontificum Maximo
Redimitur Diademate
Excutit ille culmen Monachalis Imperii
Humili ſub jugo geſtiens deſervire Chriſto.
Noverat ipſe
Altiſſima ad æthera tolli
Pro Chriſto
Gravi mole qui premitur in terris.

Notæ.

NOMEN lector accipe Alani in præclariſſimis tergeminis Viris Benedictini Ordinis Ciſtercienſis, qui omnes in muſæo ſapientiæ dignum locum habent, & ob vitæ integritatem ſortiti ſunt inter cœlites beatitudinis præmium. Duo priores Alani Magni Claræuallenſis Abbatis, Doctoriſque Melliflui alumni fuere; Antiquior Alanus Monaſticam

Digitized by Google

naſticam militiam, quam à S. Bernardo apprehenderat ejuſdem juſſu in Hiſpanias detulit, & Eremum de Toronca egregiis virtutibus cum illuſtraſſet, ibidem obiit cum magna ſanctitatis opinione, & veneratur inter cęlites ſub die 21. Octobris, de quo Menologium Ciſtercienſe. Alter Alanus natione Flander aſperam, & religioſiſſimam vivendi formam cum didiciſſet, primus Abbas præfectus eſt ab eodem S. Bernardo Ripatorii Monaſterio, poſtmodùm ſubvectus ad Altiſiodorienſem Pontificiam Cathedram; ſed hac aliquando ultrò depoſita dignitate, remeavit ad Clarevallenſe Clauſtrum, ubi terrenam hanc mortem cum cœleſti Vita commutavit die 14. Octobris, qua celebris eſt ejus memoria in Menologio Ciſtercienſi. Tertius Alanus, & quippè mirificus doctrina, & ſanctitate, Doctor Pariſienſis ille eſt, qui totum ſcibile ſcivit, vanam mundi exiſtimationem peroſus, ſuccenſus æſtu divini amoris habitum induit converſorum in Ciſtercio, & omnes, ut anteiret in religioſo certamine, ſecretò reticens qualis, & quantus eſſet, omnibus in ultimi ſervitii muneribus occupari cupiens, oves etiam paſtor duxit. Sed ad Alani hujus gloriam aperiendam Deus compulit Ciſtercii Abbatem ad Oecumenicum duodecimum Concilium Romam properantem anno 1215. Alanum ſecum ducere, ut ſibi pro famuli officio deſerviret. Magno Patrum conſeſſu coadunatam Synodum coram Innocentio III. dum ingrederetur Abbas, furtim ſub clamyde ejus latens, & Alanus introrſum venit: difficiles dum agitarentur quæſtiones, & deformia obiicierentur hæreticorum argumenta, proſiliit in medium Alanus, licèt invito, & erubeſcente Abbate, qui tamen benedictione obtenta à Maximo Concilii Præſide Innocentio, voce ſapientiſſimi hujus viri detonante, obſtructum eſt os loquentium iniqua, qui deterriti exclamarunt: *Aut Alanus, aut Diabolus es*: & ex tunc detectus Alanus, cujus fama jam innotuerat Orbi, deperdituſque tantus vir exiſtimabatur, dum humili ſub modio Ciſtercii lateret.

Plauſere

Plauſere Patres, ipſeque Summus Pontifex, primique ipſi deſtinabantur honores, ſed ab his refugiens Ciſtercium reverſus in ſancta humilitate perſeverans, clarus ſanctitate, omni ſcientia, & pro Sancta Romana Eccleſia benè rebus geſtis, obdormivit in Domino die 30. Januarii, ætate longævus, cum decimum ſextum ſupra centeſimum attingeret annum, & decimum tertium jam Chriſti ſeculum ad occaſum vergeret: hinc latè nimis Trithemius, & Harthmannus ſcripſere; claruiſſe anno 1300. Sepelitur in Clauſtro Ciſtercii appoſito cœnotaphio ad ejus tumulum. De eo Menologium Ciſtercienſe, & ibi profuſiſſimè in notis celebratur.

Virtute, meritiſque non impar modò Saxovivenſis noſtro memoratur Elogio Alanus: qui pariter Benedicti exornavit Cucullum. Is nobili genere Viennæ Auſtriæ natus, miram doctrinam, & pietatem cum ebibiſſet in literarum paleſtra, religioſam militiam profeſſus eſt inter Benedicti Monachos atri coloris: Romam venit piaculari anno 1300. & audita Saxovivenſium in Monaſtica diſciplina celeberrima obſervantia, Fulginium appulit, inter eos Monachos adnumeratus, eximia ſui animi demiſſione in obſcuriſſimis quibuſque Monaſterii exercitiis occupari geſtiebat. Celebrando Viennenſi Concilio in Gallia Narbonenſi à Clemente V. ann. 1311. progreſſus Angelus Abbas, & Caput Saxovivenſis Congregationis una ſecum duxit Alanum puſillum ſtatura, & veluti modicum Monachum, cum ejus ignota eſſet progenies, & doctrina, & ſanctimonia tantùm eluceret in humilitate, & regulari obſervantia. Dum Abbas in Concilio conſiſteret, & ab hæreticis exprobaretur veritas Eccleſiæ Catholicæ eodem modo è latebris clamydis ſui Abbatis proſiluiſſe in medium hunc Alanum, & confudiſſe doctrinis ſuis impios impoſtores, & eos exclamaſſe aut Alanus, & aut diabolus, ſunt qui referunt, rem enarratam de Superiori Alano ipſi accomodantes; igitur non ea, ſed alia fortaſſis ſuarum Virtutum comprobatione innotuit pro eo Alano Au-

ſtrio

Digitized by Google

ſtrio inter Monachos doctrina ſanctitate, & genere illuſtri. Angelus Abbas ut novit optimum, ſapientiſſimumque virum, veneratus eſt tanquam pugilem Catholicæ fidei, & Monaſtici inſtituti ornamentum, ipſique reſignavit cum baculo Paſtorali, & mitra Abbatiale regimen, rem approbante Pontifice: reſilivit ab hoc onere Alanus conclamatus tamen ab omnibus Abbas deinceps fuit; & pro aliis ſibi præcipuis oblatis Eccleſiaſticis dignitatibus, cœleſtes indulgentias expoſtulavit, quàs obtinuit à Clemente pro Eccleſia S. Mariæ de Valle apud Saxumvivum, ubi ſepultus fuit demortuus die 18. Julii ann. 1313. ætatis 51. exhumatum deinde cadaver translatum fuit ad Mellicenſe Monaſterium propè Viennam Auſtriæ. Saxovivenſes ſtatuam cum reliquiis aſſervant, ad cujus venerationem ſingulis annis accurrit multiplex populus: de eo Trithemius de Viris illuſtr. Germaniæ, qui tamen cum de hoc, & ſuperiori Alano eloquitur, correctione indiget, Lancellottus, Jacobillus &c.

Mirabilis Dei Famulus

JOANNES DE ELISEIS

Fulginas, dictus de Alvernia, Ordinis Minorum.

ELOGIUM XXIV.

Vide quàm lætus ignis
Emicet è pectore Seraphim
Blanda cum faſtidiunt animum

Famu-

Digitized by Google

Famulitia Joannis.
Fulginas hic eſt
Eliſeo Germine clarus
Qui
Magis quàm patrios geſtire inter lares
Procul à Patria
Divino locari Numini voluit
Firmani Templi
In Cardineum decus.
Aſt
Seu byſſo vel purpura
Contexta clamyde
Dum cernit terga nudata Franciſci
Dei Ruentem reparare Domum
Et ipſe
Templum cordis Deo inſtaurare deſtinans
Præclara Franciſci veſtigia
Sequi feſtinat.
Nec olim Vates inter ſacros
Uni Eliſei Magiſtro
Currus affuit igneus
Per aëra Volitans
Ut in ſpiritu quieſcat
Uſque dum in finem decreſcat Orbis.
Divini amoris
Ardentiori flamma ſuccenſus
Joannes

Joannes alta montium petit
Et in vertice conſiſtit Alverniæ
Non longiùs vagaturus
Quàm ubi ultimam metam
Contemplatur Olympi.
Atque ita
Cœleſtium immiſſionum dulcedine perfuſus
Vitæ mortalis nondùm coarctatus extremis
Et reliquum curſum
Beatæ perennitatis implebat
Velut Sol è Cœlo
Perfundens Orbem radiis
Divino facundus Eloquio
Mortalium mulcet animos
E cœno trahitque ad Cœlum
Atque fulmineo fragore
Abigit ſcelera
Scelerumque authores
Immittit in Orcum.
Accipit demùm
Suæ Beatitatis oraculum
A Laurentio
Seraphim qui fulget in Choris
Archilevita Romano
Pari ſecum
Laudationis Laurea cratiſque ignitæ

Triumphali curru
Tranſuehendum ad Æthera
Alvernienſis incolatus
Sex jam peractis Luſtris.
Et hoc Symbolicè dictum
Ad miraculum implevit
Cum ſeviores inter ærumnas
Pectore charitatis ardore ſuccenſo
Transfixi JESU *Imaginem*
In ſe expreſſam exhibuit.

Notæ.

ELISEÆ familiæ prodierat è gremio Joannes, qui pari cum pietate in literis tum ſacris, tum profanis eximiè educatus, ut adultior factus eſt Patruo exhortante clericali militiæ adactus, eoque Duce Firmum venit, præcipuam Piceni Civitatem, ubi inter ejus Cathedralis Eccleſiæ Canonicos, qui tunc temporis Cardinales attitulabantur, connumeratus eſt. Magis quàm ſeculo, ad inſtar Religioſi Viri, rei Eccleſiaſticæ immerſus omnimodam operam dabat ſtudiis Virtutum. Quinimò pertæſus omninò ſeculi jurium Alverniam abiit, ibique vinculis ſe obſtrinxit arctioris vivendi normæ Seraphici Ordinis. Seculo ita ſubductus angelicam potiùs, quàm humanam vitam ſuſtinuit, cum exemplo miræ erga ſe ipſum auſteritatis: ſed cum multi commoti fama ejus ſanctitatis ad eum concurrerent ſuperiorum intercedente præcepto Divini Verbi prædicatione populos pluri-

plurimos ad viam ſalutis perduxit, & tunc maximè nequam deſpicere mundũ perbellè docuit. Denique Virtutum æmulus Beatiſſimi Patris ſui Franciſci, ſub cujus Regula arctiſſimè vixerat, in eo præcipuè ſimilis ei, Dominicæ Paſſionis contemplator aſſiduus, jam morti proximus, præconium Gloriæ Sanctorum à S. Laurentio Romano Archilevita Martyre accepit, evenitque ita cum anima exuto corpore ad ſuum Creatorem abiit menſe Auguſto in pervigilio ejuſdem Sancti Laurentii an. 1322. Corpus in ipſo Alverniæ ſacro Templo cunctorum venerationi hodiedum expoſitum conſpicitur in nobili ſacello Rinuccinorum inclytæ Florentinæ familiæ. Ejus aſpectus inter imagines Cœlitum Franciſcani inſtituti viſitur in Clauſtro Romano S. Franciſci arctioris Obſervantiæ ad Ripam Tyberis, Elogiolo proloquente vernaculo idiomate ejus virtutes, vitæque decurſum. Exortus enunciatur Joannes iſte Fulginii ex ingenuo, & è viſceribus antiquitatis prodeunte Eliſeorum germine, Laurentio (vulgò Renzo) proſeminante una cum conjuge nobiliſſima Fiorderiſa filia Conradi de Trinciis è materno ſtipite Romano Urſino; Unde quia denatus mundo, renatus Deo in Alverno Monte Divi Franciſci Stigmatibus fulgentiſſimo, in eoque diù vixerit, & obierit, de Alvernia in poſterùm dictus eſt.

Habet Eliſea gens per multa ſecula nobiliſſimas ſui generis deductiones, quod conſervatum uſque hodie incorruptum agnoſcimus. Vetuſtiori jure prodiiſſe commendatum habemus ex Anicia, & Frangipana ſtirpe Romanorum nobiliſſima, & hoc diverſis diplomatibus teſtatur, & primùm ex eo quod fabricatum fuit in Curia Romana Capitolina anno 1632., atque exhibitum coram Chriſtianiſſimo Galliarum Rege Ludovico XIII. ad favorem Pompei de Frangipanis, cujus exemplar cum plurimis teſtimonialibus literis à nobis perſpectum, habet: Eliſeum de Frangipanis Roma Florentiam appuliſſe an. 800. ejuſque operam apud Carolum Magnum Florentinis ubique rebus inſtaurandis plurimùm,

& In primis valuiſſe; ut de eo recitat *Boccaccius* in Vita Joannis Alighieri vigeſimus poſt ejus ab Urbe diſceſſu cum excidiſſet annus, & in Petri Sede conſiſteret Paſchalis I. factioſas partes, & pernicioſos in Urbe tumultus, ut evitarent Michael, Nicolaus, & Ugo è Frangipanorum germine eodem parente progeniti fratres plurimo auro, gemmiſque benè muniti varias in partes tranſiere. Venetiis recipitur Michael, quem fama generoſi ſanguinis inter primores ſuos celſiſſimus Senatus ille adſcripſit, & ex eo propagata exindè eſt Anicia Frangipania Michaelia Familia, Ducum, & Heroum ſerie clariſſima, de cujus origine, & ſucceſſu Panvinius lib.4. cap. 3. certiſſimus ſuffultus documentis ex antiquis Venetæ Reip. Archivis. Alii alias in partes abiere gloria belli, & divitiarum copia ubique fulgentiſſimi. Conſtat ſiquidem ex Aniciana Arbore per Orbem ramos plures protenſos fuiſſe, quibus referuntur plures æque nobiliſſimæ gentium ſtirpes, diverſis adſcitæ nomenclaturis, prout rerum geſtarum tulit eventus, vel majorum voluntas, vel aſſociatio induxit in poſteros. Hinc Fulginatem hanc noſtram Eliſeam jam conjectari licet ex rerum Florentinarum Scriptoribus, ex illo diffluiſſe Eliſeo Frangipanio, qui Florentiam adiit adhibitus à Carolo Magno Florentinæ Civitatis rebus reſarciendis, quas olim dejecerat immanis Totila. Florentiæ igitur cum ſubſtitiſſet nobiliſſimus ipſe Eliſeus, nobili ejus Civitatis cœtui conſociatus prolem multiplicem ſuſcepit. Ex qua natus Cacciaguida, qui nobili Ferrarienſi Fœminæ de Aldigheriis copulatus, ex ea, quos ſuſcepit natos, de Aldigheriis ſunt nuncupati. Prodiit ex his Dantes Etruſcus Poeta, & ejus ævi poëſis facilè Princeps: nuptiarum nexu cum Gemma de Donatis liberos habuit Dantes, quorum alter Petrus dictus Veronam adiit celebrem Italiæ Urbem, & ex eo inclyta Veronenſium familia Dantes illuxit, ut enarrat Fr. Aloyſius Catharinus lib. *della Nobiltà di Napoli*, *edito Neap. an.* 1599. *fol.* 141. Cum varia per Europæ loca pervagantes ejuſmodi cele-

celeberrimi Viri, apud Germanos ſuas altas radices egiſſent, ut effatur Sigefridus Abbas, haud ambigimus aliquem ex Eliſea ſobole in Germaniam tranſmigraſſe, ut eam ibi gentem inviſeret, cum qua communem habebat natalium Romanam originem. Et hinc jam prodit Frangipanorum Eliſeanæ arboris apud Fulginatenſes primus Parens Caracciolus Leo, vulgò dictus *Caracciolo del Lione*. Leonis pronomen Aniciis, & Francipaniis aſſuetum comperimus ex antiquis tabulis. Petrus Leo Anicius Senator Urbis fuit, uti aſſerit Franciſcus Zazzara *lib. della Nobiltà d'Italia*, ex eo progenitus eſt Leo Maximus, ut meminit Petrus Creſcentius *lib. dell'Iſtoria d'Italia*: huic natus eſt Leo, à quo primum reboaſſe cognomentum de Frangipaniis arbitratur allegatus Zazzara, & hic ille eſt, qui genuit tergeminos illos ſuperiùs enarratos Michaelem, Nicolaum, & Ugonem, quorum tamen progreſſus dum enarrat Contarinus, contendit Nicolaum Signiæ in Latio conſediſſe; ibique Comitum Signiæ lineam inchoaſſe: quæ ſiquidem propago antiquior eſt apud pleroſque Scriptores, Ugonis verò profectionem in Apuliam præterit, & abſque heredibus extinctum ſcribit.

Jam nunc unde digreſſus eſt, ad Caracciolum Leonis regrediatur Geneſis hujus calculus, qui certò certiùs aſſeritur in vetuſtiſſimis monimentis, & chartis, ex hujus Eliſeorum ſtipitis radice ſuccedentibus peperiſſe Atavos, ſuoſque progenitores. Hic antiquum Aniciæ domus ſtemma ſuo militari in ſcuto geſtavit erectum Leonem, & hunc purpureum in umbone aureo, quod peculiare inſigne eſt Eliſeanæ proſapiæ. Tertius Otho Imperator cum in Italiam, Romamque venit, Caracciolo Leonis genitum Eliſeum ſecum duxit, præfecitque equitum militaribus copiis anno 996. & reverſus in Germaniam inſtituit univerſi Italici Regni Vicarium Generalem: Huic Eliſeo Romana Lavinia, quæ ex Cæſareo Neruæ ſtipite generoſum ſtemma oſtentabat, peperit Leonem Eliſeum, qui Conradi II. Imp. nomine Latium frænavit, &

equitum

equitum Dux copias in Saracenos movit an. 1036. de quo Zazzara lib. cit. p. 2. Arduinus ex eo natus Pontificiam Victoris II. aciem contra Saracenos duxit anno 1055. ut de eo ſcripſit Scipio Ammiratus lib. 2. hiſt. Florent. Anſaldus Arduini filius hujus arboris truncum deinde exornat, cui proximè ſuccedit Alexander, qui primus Fulginium Eliſeam familiam invexit anno 1186. quam fulgentiſſimam rectò progenitorum tramite in hodiernum uſque diem Trinciis, & Actiis aſſociatam connubiis clariùs,& diſtinctè ob oculos ponimus in noſtro Italiæ Sacræ poſt Ughellum opere in Fulginatenſium Epiſcoporum ſerie, cum agimus de Epiſcopo Fr. Luca Borſiano ad annum 1490. cujus proneptis Nicolao Cybo genita, gloriæ majorum ſuperſtes ſurculus in Eliſeam gentem ſuum nomen, ſucceſſionemque transfudit matrimonio juncta Franciſco Eliſeo Fulginatenſi Patritio. Seriem modò poſteritati commendat, Evander Marchio Eliſeus Viduantis Poloniæ Reginæ, quondam Regis Joannis conjugis, inter ſecretioris cubiculi nobiles adnumeratus, qui ad hujus geneſis non interrumpendam deductionem Marchionem Carolum proſeminavit ex uxorio connubio cum Marchioniſſa Marcellina de Liliis, pervetuſta,& nobili progenie. Horum cæteri germani fratres Marchiones Vincentius, & Joannes Maria gentilitiæ generoſitatis ſuperſtites ſunt, & ultimo loco natus anno 1668. Abbas Honufrius clericalem vitam amplexus multiplici literarum ſupellectili dives acceptum virtutis patrimonium conſervat, & auget, Summo Pontifici acceptiſſimus in recognoſcendis Eccleſiarum Urbis ſtatu, & decore Viſitator Apoſtolicus adſcitus, aliis piis operibus promovendis, fovendiſque adhibetur.

S. PETRUS

Digitized by Google

S. PETRUS CONFESSOR Fulginas, & Fulginatium Divus Tutelaris: Petrus lacrymoſus nuncupatus, & Almificus.

ELOGIUM XXV.

PETRUM
Nobili Familia Creſcia
Intuere Vivum
Quinimmò
Petrum in iſto Chriſti Diſcipulum
Agnoſce redivivum.
Utrumque lacrymantem reſpice.
Aſt
Galilæo Fulginatem diſſimilem dicito
Illum juratum perfidiæ teſtem
Divini Judicis oculus in lacrymas ſolvit
Ut abſolvat à crimine.
Petro in hoc
Nullus fuit Veſanus furor
Quem reſpiciat Chriſtus ut corrigat.
Ideo lacrymas effundit
Jeſum quia non videt

Et

Digitized by Google

Et ſibi obiicit pœnam ea carere Viſione
Quæ ſola ſolatium hominis eſt.
Vel ſanè
Eruditus ad lacrymas infantili innocentia
Quæ vagit inter præſepia
Et luget circumligata faſciis.
Sic prima libamina vitæ
Grandævus ſervavit innoxia.
Vel quippe Charitatis Victima
Prodiga pro ſanguine lachrymarum emiſſione
Iram ſuperni tentat extinguere Numinis
Et largam ſontibus impetrare veniam.
Satanicas ut talpas irrideat
Apertam quæ ſemper exhorruere lucem
Intrepido aſpectu contemplatur Solem
In hiſce viſibilibus
Imbutam radiis cognatã Divinitatis Imaginẽ.
Et ò mirum!
Factus contemplator Majeſtatis
Non obruitur à gloria.
Quid ſi corpore ambulans in terris
Corde habitans in Cœlis eſt
Sapientis illud implet:
Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & CRESCIT uſque ad perfectum diem. Prov. c. 14.

Perfe-

Perfectum jam nunc diem tenet
Glorioſus in conſpectu Domini:
Suorum ut fulgeant pectora flammis Etheriis
Sua luce probat natale ſolum.
Quo Lare quo Duce
Ambulare in luce Fulgoris tui
Si vis Fulginium
Patriæ Patris, & Magni Patroni
Ab eo qui fulgura in pluviam facit
Veræ Charitatis cum lacrymis incendia poſce.

Notæ.

NATUM ſub annum 1243. nobili apud Fulginates Creſciorum progenie Petrum ab ipſa ineunte infantia deditum pietati cum ſanctè educaſſent Parentes, horum adveniente orbitate ex aſſe hereditario opibus abundantem in ſeculo reliquerunt. Verùm ille operibus miſericordiæ, & ſanctis quibuſque exercitiis impensè intentus, omnibus in pauperes diſtributis,factus pauperrimus omnium, & præ omnibus peccatorem ſe reputans coram Deo, & hominibus, pro vero animæ theſauro lacrymas concupivit, & pro vitæ ſempiternæ gaudio lacrymare in hac lacrymarum Valle didicit, eo divinæ Sapientiæ documento benè informatus: *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Math. c.* 5. Sed & effrænes in lacrymas provocabatur quotidiè, quòd homines deſpecta cordis munditia voluntarentur in cœno iniquitatum, & pro ſiliquis porcorum verbum æternæ vitæ negligerent, & tam facile in Creatoris offenſam labe-

rentur pro ludicris mundi hujus. Itaque Deum ſummæ pietatis, deprecabatur; ut omnium miſerator ad ſe converteret peccatorum mentes, interpoſita ſemper Deiparæ Virginis interceſſione. Qua erga proximos charitate flagraret, ex eo eluxit, quòd cum inopi, egenoque ut ſubveniret, nil aliud præter nudum corpus haberet,in perpetuam ſervitutem ſe vendidit cujuſdam nobilis viri, & pretium inde acceptum in pauperes transfundit: ſed liber dimiſſus, detecto ſemper capite, brachiis nudatus, & pedibus, cæterùm cilicio, & vili ſacco opertus in arctiſſima ſenſuum cuſtodia incedebat, deditus piis exercitiis, & animarum ſalute procuranda, & à Deo ſceleſtis quibuſque ſuffragio pœnitentiæ criminum veniam ut impetraret ea cibi parcitate vitam duxit, ut quandoque jejunus ſex dies, totidemque noctes traduxiſſet, contemplationi, & orationi addictus millies ſingulis diebus in genua procumbebat, præcipuè cum JESU nomen reſonaret in ejus auribus; ſacræ principis ædis campanaria turris præbebat ei lectulum nuda in humo; unde media qualibet nocte ad matutinas laudes exurgebat. Solis nitorem adeo adamabat, ut in Solem reſpiciens, nec hebetarentur ejus oculi, & in Sole maximo cœli hujus ornamento Jeſum Chriſtum veluti in ſuo tarbernaculo ſæpius conſpiceret. Denique penſo in ſubeundo aſperrimæ Chriſtianæ vitæ,ſacra Lauretana Domo, Aſſiſſinate Portiuncula, & Romanis Apoſtolorum liminibus frequentiùs viſitatis inter patrios lares, ac ſi in eremo vixiſſet, claritatem divinæ gloriæ, & arcana Deitatis ſemper in mentis recogitatione pervoluens octogenarius vegetem ſenectam detruncavit, juventutem renovans in cœleſti Beatorum requie die 18. Julii ann. 1323. Corpus in ſacello ejus nomini dicato in Cathedrali aſſervatur, ejuſque feſtum ſolemne ibidem recolitur ſub ritu duplici, & primus poſt Felicianum Fulginatium Patronus eſt. De eo Ferrar. in Catal. SS. Ital. Bzovius ad ann. 1323. Ughell. loc. cit. Ludovicus Jacobillus, & Nicolaus Barnabo Vitam edidere. Congregatio Presbyterorum

terorum Charitatis hunc S. Petrum una cum S. Dominico Abbate ſibi aſciverunt in protectorem. Bonifacius IX. certis præcipuis indulgentiis diem feſtum ejuſdem illuſtrat.

Clariſſima Sanctimonialis
ANNA VIRGO
Fulginas Ordinis Prædicatorum.
ELOGIUM XXVI.

Quid tuo ex nomine meditaris
ANNA
Annorum labilem numerum æternitatis in ſinu
Cum fallaci mundi figura in nihilum abire?
En Virgo Sapiens
Superum magiſterio inſtructa
Semitam arripuit
Qua
Ad nunquam perituram cum bonis omnibus
Vitam feliciſſimè perveniret.
Procul abiiciens
Divitias atque ſeculi voluptates
Tartareo ſpiritu corrumpentes
Animarum pulchritudinem

Et quæ fecit
Facienda aliis proponens
Caſtrum aperuit
Clypeis munitum Evangelicæ perfectionis
Ad cultum
AUGUSTISSIMAE DEIPARAE VIRGINIS
S. MARIAE DE POPULO
Divis Regularis Obſervantiæ
Præſidibus appoſitis
Statutis Dominicani inſtituti.
Sic ubi ſuos è ſchola Dominici
Reperiſſent Præceptores
Fulgineæ Virgines
Virtutum haberent Præcones
In æternitatis aula.

Notæ.

FALLAX gratia, & vana, quàm ſit pulchritudo Mundi hujus dum meditatur Anna prænobilis Virgo Fulginas in hortulis Evangelicæ perfectionis radiare ſua lilia voluit; adeoque genere, opibuſque neglectis exædificato Monaſterio ſub invocatione S. Mariæ de Populo, cultuque Dominicano, in eo humilitate, omnique ſanctimoniæ laude effulſit ab anno 1295. uſque ad 1348. quo ad cœleſtis ſponſi amplexus vocata eſt. Nobile inſtitutum juvit Benedictus Decimus, dictus Undecimus ex Ordine Prædicato-

rum,

rum, conſocians illud, cuſo diplomate, omnibus, & ſingulis Prædicatorum Ordinis indultis, & privilegiis anno 1303. Inter coronamenta Virtutum, quibus in eo coruſcarunt plurimæ Fulginates, commemorantur Lucretia Jacobuccii Ugolini de Trinciis Fulginii Domini, ſoror germana Jacobi Saxovivenſis Abbatis, quæ & regimen cum præclarè ſuſtinuiſſet hujus Cœnobii ſpiritum Deo conſignavit anno 1454. altera eſt Seraphina Joanne Jacobo genita de Jacobillis nobili ſtirpe, quam illibatè conſervatam ſummè commendandam tranſmiſit ad poſteros Ludovicus Jacobillus aureis moribus, literiſque typis conſignatis, celebris: Seraphina cum vita decedens animam emiſit candiſſimæ in columbæ ſpeciem, unde teſtimonium ſuæ puritatis, ſimplicitatiſque ſimul Evangelicæ teſtimonium daret ann.1572. Tertia eſt Catharina item Fulginas Virgo, quam Angelorum colloquium aliquando illuſtravit. De his Hiſt.SS. Fulg. fol.400. impreſſionis de ann.1628. Durantes Dorius lib.4. hiſt.Trinciæ, & Jacobill. to.3. SS. Umbriæ fol.388.

BB. PHILIPPUS ET JACOBUS

Fulginates Ordin. Minor. pro fide Catholica apud Bevaniam Martyres.

ELOGIUM XXVII.

En tetricas radiant per Umbras
Sævus dum cogit miles

Roma-

Romanam Umbros dediſcere fidem
Gemina cœli ſidera
PHILIPPUS & JACOBUS
Seraphicæ candidati militiæ.
Duos in hos ſuperni fulgoris lumina
Geminum illud Apoſtolicum Sidus
Prolapſum dicito
Philippum & Jacobum.
Chriſti lucidiſſima ſunt germina ſinguli
Suppares omnes
Ad lucẽ cæcutienti Orbi Evangelio quærendam
Et in eo omninò pares
Quòd
Chriſti cauſa mortem ſubiere cruentam.
Et hoc illud eſt
Quod mirentur quod adorent omnes
Martyrii per orbitã munus obſignare Apoſtolicũ.

Notæ.

FACTIOSORUM Bevaniæ Trinciorum dominationis cohibere tumultus Trincii Fulginii Domini, ſeu in Umbria Apoſtolicæ Sedis Vicarii pro viribus ſatagentes armatorum vim Bevaniam immiſerunt, quorum pars magna, & ipſi Duces Acatholici erant, Teutonici, atque Britones, qui cædibus, & latrociniis inihiantes, ſacra ſimul, & pro-

& prophana loca evertentes lumen Romanæ Fidei extingue-re ſatagebant. Hæc inter horum vires retrudere conabantur precibus, inclamationibus, & Evangelica prædicatione duo Minoritani Fratres, natali ſolo Fulginates, Philippus, & Jacobus, qui doctrina, & vitæ ſanctimonia illuſtres jam diù antea Bevaniam, obedientiæ præcepto impoſito, venerant, ut ſuo exemplo, & Evangelicis documentis Bevenates ad rectum Cœli callem promoverent. Horum opera dœmon profligatum ſe agnoſcens, in eos odium, haud minus fidei, excitavit in armatis, furentibuſque etherodoxis, qui illicò irruentes in Beatos viros immotæ mentis, & probitatis vulneribus confoſſos, madidoſque ſanguine è medio ſuſtulerunt die 2. Septembris anno 1377. corpora in Topini proxima fluenta relinquentes projicienda. Aſt noctu arcæ incluſa cum à fidelibus honeſtè ad conditorium deferrentur, ab hæreticis per vim in flumen dejiciuntur: ſed, ò mirum! ſurſum natant, & contra torrentis impetum decurrunt, & propè Fulginium conſiſtunt, unde à Clero, populoque devotiſſimè elevata in Cathedrale Templum ſolemni ritu deferuntur. Hæc interim hilari ſonitu tintinnare campanæ ſacræ turris Franciſcani Conventus inviſibili Angelica manu eas percutiente: itaque ſacra Martyrum corpora ad eam Eccleſiam delata ſunt, ubi publicæ venerationi proſtant. De eis Martyrol. Franciſ. Dorius in hiſt. Trincia lib. 4. Fr. Marcellus Ulyſſ. p. 2. Chron. Min. ad ann. 1377. Wadingus, & alii.

* * *

Ex

Ex Divino inſtinctu Bethlehemiticum Fulginii Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis erigitur.

ELOGIUM XXVIII.

Ter geminis
Lætare Fulginium exhilaratum fœminis
Quarum Virtus unanimis tibi cœlitùs irradiata
Excolendam aperit
Orbe majorem Bethlehem
Minimis quam licet
Finibus còercuit Tribus Juda
Trace ferociente dejectam
Sinu in tuo
Florifera Ciſtercii plantatione
Erectam
Barbaricus non ſternet iſtam furor
Nec per ſcelera aſcendet
Ad Chriſti natalis Arcem
Quam nata tuendis ſideribus ipſis
Virginum choris inhabitat
Illa Duce Virginum
Quæ Bethlehemiticum Deum parturit.
O Lucis Faber

Rerum

Rerum te naſci Dominum
Bethlehem exiguo monſtravit in antro
Lux certa
Docuitque cæcos ingredi Regiam Solis:
En
Veſtras radiat per Umbras
Suiſque Fulgoribus vos implet
Solis iſta Domus
Et hic eſſe Deum ſuperoſque clamat.
Fulginates
Hùc accedite & illuminamini
Et innoccidua luce
Micabit Religio veſtra.

Notæ.

RELIGIONE, & virtute clariſſimæ tres fœminæ, videlicet Morbida Januarii de Monte Vetere, Lucia Petruccii de Colle Mancio, Andreola Petri Gualdi è Cattanio Umbrorum Oppidis ſupernè afflatæ ſimul convenerunt, anno Chriſti circiter 1369. ut ex Ughello commendatum habemus in Fulginatium Antiſtitum ſerie num. 33. Tres igitur pietate inſignes hæ fœminæ Deum in quod opus rogantes in ejus honorem præſtantiùs ſe ſuaque bona impenderent ſignificaret, factumque eſt; quòd Divinus fervor Fulginium ad Sacrorum Principem impelleret, deque ejus conſilio, eoque adjuvante fundamenta jecerunt Cœnobii S. Mariæ de Bethlehem Benedictinæ Regulæ

T ſacræ

Ex Divino inſtinctu Bethlehemiticum Fulginii Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis erigitur.

ELOGIUM XXVIII.

Ter geminis
Lætare Fulginium exhilaratum fœminis
Quarum Virtus unanimis tibi cœlitùs irradiata
Excolendam aperit
Orbe majorem Bethlehem
Minimis quam licet
Finibus coërcuit Tribus Juda
Trace ferociente dejectam
Sinu in tuo
Florifera Ciſtercii plantatione
Erectam
Barbaricus non ſternet iſtam furor
Nec per ſcelera aſcendet
Ad Chriſti natalis Arcem
Quam nata tuendis ſideribus ipſis
Virginum choris inhabitat
Illa Duce Virginum
Quæ Bethlehemiticum Deum parturit.
O Lucis Faber

Rerum

Rerum te naſci Dominum
Bethlehem exiguo monſtravit in antro
Lux certa
Docuitque cæcos ingredi Regiam Solis.
En
Veſtras radiat per Umbras
Suiſque Fulgoribus vos implet
Solis iſta Domus
Et hic eſſe Deum ſuperoſque clamat.
Fulginates
Hùc accedite & illuminamini
Et innoccidua luce
Micabit Religio veſtra.

Notæ.

RELIGIONE, & virtute clariſſimæ tres fœminæ, videlicet Morbida Januarii de Monte Vetere, Lucia Petruccii de Colle Mancio, Andreola Petri Gualdi è Cattanio Umbrorum Oppidis ſupernè afflatæ ſimul convenerunt, anno Chriſti circiter 1369. ut ex Ughello commendatum habemus in Fulginatium Antiſtitum ſerie num. 33. Tres igitur pietate inſignes hæ fœminæ Deum in quod opus rogantes in ejus honorem præſtantiùs ſe ſuaque bona impenderent ſignificaret, factumque eſt; quòd Divinus fervor Fulginium ad Sacrorum Principem impelleret, deque ejus conſilio, eoque adjuvante fundamenta jecerunt Cœnobii S. Mariæ de Bethlehem Benedictinæ Regulæ

T ſacræ

Digitized by Google

ſacræ Ciſtercienſium Reformationis, ut ibi Virgines Deo votæ lætanter ſuam vitam traducerent, quod equidem ſpeciali Deiparæ Virginis mandato interveniente peractum eſt, cum is Ordo primus omnium in Occidentali Eccleſia ipſi, ejuſque nomini excitatum fuerit, quod illicò ratum habuit Bonifacius IX. an. 1400. ſummis illud gratiis, & privilegiis exornans dum Fulginii exceptus eſſet hoſpitio à Joanne Epiſcopo. Præfatæ Mulieres Deo gratiſſimæ ibidem conquievere in Domino, & omnium prima Abbatiſſa Morbida fuit. Eodem ſuffragante Epiſcopo, & deprecante Ugolino Trincio Fulginii Domino, Viri Ciſtercienſes S. Mariæ in Campis ampliſſimis Apoſtolicis indultis communiti ſunt. Diſtractis Monaſterii opibus excidere Viri, iiſque ſucceſſerunt Olivetani, ſanctimoniales uſque in hodiernum diem perſeverant. Monumenta m. s. Lancellottus lib. 2. n. 69. Chron. Olivet. Jacobil. ſ. 3. pag. 322.

B. PAULUS TRINCIUS URSINUS

ROMANO-FULGINAS

Ord: Min. Reformationis S. Franciſci de Obſervantia, vulgò Fratrum Calepodiatorum, Author.

ELOGIUM XXIX.

Gaude & exulta ſatis Umbrorum tellus
Cœlitum vera gloria irradiata fulgoribus
Tua intuere lumina ſocia.

Quod

Quod lumen Assisiensis Franciscus?
Quod Numen Fulginas Paulus?
Æterni Solis nitidiſſimus radius uterque.
Supernis ignibus frigeſcentem ille exurit mundũ
Templum ſuffulſit
Et contra Siſaram tenebrarum Principem
Siderum turba armavit Eccleſiam.
Solidam Paulus
Franciſcanis in artubus innovavit virtutem,
Et Mirificum de observantia
Seraphicum excitavit in Orbe decus.
Pietatis æſtus Franciſcus incendit in terris:
Ætheriis ignibus
Inflammavit mortalium pectora Paulus:
Religionis magnũ dedit incrementũ Franciſcus.
Ad Cœlum compoſito
Splendeſcere fecit lumine Paulus
Seraphicis dum æſtuat ſtudiis
Et arctiſſima vivendi jura
Gentem ſuam amplecti curat.
Aſt magnum agnoſce hunc Paulum
Tarſenſi ſimilem
Vas ille electionis
Nomen unde Chriſti Dei in Gentes diffuſum:
Hic dextra Excelſi de repente mutans
In admiranda vita normam

Digitized by Google

Franciſci ſobolem:
A ſôlo ad Empireum raptus eſt ille:
Mirare delapſum ad hunc Empireum
Circum Turrim cœlitus ignitam
Clauſus ubi latet ut ſervetur à noxis.
Pro Chriſto
Exoticus uterque Mundo
Et Apoſtolus & Seraphicus Paulus
Romana tamen uterque civilitate clarus:
Ille donatus iſte natus
Materno ſtipite è Sereniſs. Urſinorum prole
Trinciis copulata conjugio
Qui latè Fulginii Umbriæque tenuere ſceptra
Trincium Urſinum Paulum
Colit modò
Patrem Patriæ
FULGINIUM
Fulgida regnantem in axe Cœli.

Notæ.

CLARISSIMA ſtirpe natus ex utroque parente Paulus genitorem agnovit Vannutium Trincium, e Fulginii, Nuceriæque dominis, matrem verò Octaviam Urſinam inter Romanos Proceres nobiliſſimo procreatam ſanguine, & omnium ſuæ ætatis fœminarum ſpectatiſſimam: hujus

in ſinu

Digitized by Google

in ſinu ad omnem pietatem educatus, quatuordecim vix annos natus maximam in ſui admirationem mortalium omnium traxit oculos; quippè qui Chriſtianæ demiſſionis ſtudio percitus, ampliſſima neglecta ſeculi pompa, ad Fulginatenſe cœnobium Fratrum Conventualium Ordinis S. Franciſci demigravit, & ſanctæ converſationis habitum ſuſcepit anno 1323. atque, ut exactam Evangelicæ humilitatis legem impleret, ſacris adſcribi Ordinibus modeſtiſſimè conſtanti ex animo renuens, inter laicos connumerari voluit; & qui ætate nedum, ſed & ſtatura corporis puſillus erat, Vice Pauli Fr. Paulutius cognominatus à vulgo deinceps fuit. Longè lucidiorem claritate natalium animi ſplendorem oſtentavit pauperrimo obvolutus Franciſci pallio, in vilioribus, & humillimis ſemper implicitus clauſtri exercitiis cum omnimoda propriæ voluntatis obdicatione. Cum ad religioſæ vitæ progreſſum multùm conferre agnoviſſet ſenſuum depreſſio, & mentis in Deum elevatio, perpetuo jejunio carnem perdomuit, ciliciis, & variis corporis defatigationibus, mentem verò Divinis myſteriis contemplandis, & præcipuè ejus animus ſummè excruciabatur, quòd primævam Almi Patriarchæ Franciſci regulam nimiùm labefactatam inſpiceret: quare ejuſdem ſervantiſſimus factus, mirabili exemplo, & Angelicis monitis ad veram Seraphicę militiæ teſſeram cœteros promovere ſtudebat: ſed qui laxiori cultu vitam fovebant, gravioribus conviciis Paulum inſectari ſunt auſi. At ipſe ad lacrymas converſus, & preces, Crucifixum Jeſum inſtanter inſtantiſſimè adeò pulſavit, intercedente pro eo Virgine Matre, ut tandem aliquando factus voti compos potuerit ordinem ſuum à probris laxitatis vindicare. Egregia ſiquidem, & opportuna ſe præſentavit occaſio, anno excurrente 1368. In Franciſcano ejus reſidentiæ Fulgineo Cœnobio Provinciale Capitulum celebraturi Minoritani Fratres aderant, iiſque comitiis, præeſſe advenerat Ordinis Generalis Miniſter; hunc ſumptuoſo excepit Hoſpitio Trincius de Trinciis Fulginii

Domi-

Dominus., & noſtri Pauli Frater conſobrinus. In eo capitulari congreſſu cum ſupremus Ordinis Antiſtes benè probaſſet quale, quantumque eſſet religioſæ vitæ, quæ in Paulo elucebat documentum ad alios excitandum ad puriſſimæ regularis obſervantiæ exercitia, eidem indulſit, ut ſecum aſſumptis ſociis quatuor, vel ſex, ſecederet in ſolitudinem cœnobioli nuncupati S. Bartholomæi in loco Piſtiæ, ſeu Burliani Fulginei territorii, Camerinum verſus, ibique cum ſuis collegis teſtatiſſima daret indicia vitæ ſeverioris ad literam Franciſcani Canonis. Primi qui Paulo adhæſerunt, quorum Deus corda tetigerat, ſeverioris obſervantiæ cupidine ducti, modò inter cœlites connumerati, fuere, & omnes laici, Beatus Angelus à Monte Leonis in Umbria, B. Joannes à Stroncone, B. Franciſcus de Fabriano, B. Tomas de Fulgineo, cujus elogium infra dabimus, martyrii laurea decoratus à Deo, & B. Philippus de Tuderto. Digreſſi annes, Duce Paulo, ad S. Bartholomæi Burlianenſem eremum, quem inter abrupta locorum, ſylvas, & nemora nonniſi aſpides, & beſtiarum terrificationes excolebant, perrexerunt. Incolumes ibi, Jeſu Chriſti nomine invocato, vitam duxere eo ſub præceptorum jugo arctiſſimo, quorum auctor fuit Seraphicus Franciſcus, & ſuis Cœnobitis obſervanda propoſuit. Verùm cum per illa ſolitudinum aſpera iter repetere valdè horridum eſſet, conterminos incolas, calepodiatos incedere, ut vidit, eos imitatus, calepodiatus ipſe, cæterique ejus cœnobioli calepodiati proceſſere, factumque poſtea; ut qui ejuſmodi obſervantiæ alumni forent, calepodiati vocitarentur. Agellum hunc majori operariorum numero excolendum poſtulavit Paulus, obtinuitque ab Ordinis præſidibus, uti concupierat, ſpectatæ obſervantiæ quicumque ſe ultrò offerrent ſectatores, quos inter adnumerati ſunt B. Joannes Peruſinus, B. Ægidius Anglanus, & B. Laurentius Fabrianenſis. Confluentium numero impar clauſtri anguſtia, latè patuit deinde piorum ſuffragante adjutrice manu. Sed cum fama reli-

religioſiſſimè hujus reformationis increbreſceret, plures alii per Umbriam conventus tale inſtitutum amplexati ſunt. Arſit dæmon, & injurioſus totus prodiit contra Paulum, & magis quam flammis, & ferro ſævus perditiſſimorum hominum in ſanctum virum diriſſimas perſecutiones movit, quas evaſit, ſecretò ſubductus à Trincio conſobrino ſuo Fulginii Domino, occultus permanſit in ejus Fulginei palatii turri, ubi humi cubans lacrymis, orationibus, & inedia totum ſe Deo ſuumque inſtitutum commendabat. Sed hæc inter erupit in prodigia, quæ latebat ardens lucerna. Nocte quadam exilire ipſa de turri flammæ ſunt viſæ, creditumque magnum ſubjectum ignem eam vorare manſionem, accurrere viri, & certatim conſcendere omnes, conſpexere latentem Paulum raptum per àëra, & Divina circumfuſum luce, quæ inſtar ſolis ignitos extra turrim radios emittebat. Sed cum jàm ſplendidiùs emicaret in jugum veræ Obſervantiæ Seraphicæ aperiendæ per Orbem Fulginatis Pauli fervor, emollitum diſparvit tenebroſum perſecutorum agmen, atque è lucida Sede Petri Paulus iſte ab Urbano V. facultate communitus eſt ann.1370. in Urbe Fulginea extruendi ſacra ſepta ad earum cuſtodiam, quæ è fœmineo ſexu ſuam Deo deſponſarent puritatem ſub Divi Franciſci invocatione, Tertiariarum nuncupanda, quæ ſuis redditibus uti poſſent ad religioſæ frugalitatis ſubſidium, cujuſmodi inſtituti prima apud Italos cœnobia fuere Fulginii Deiparæ Virginis Annunciatæ, & alterum SS. Trinitatis. Mox ad Brullianenſe in monte cœnobium reverſus, aſcetas ſuos conſolatus, quos omnium primus ſeverioris diſciplinæ inſtaurator centuriaverat, in caſtris cœleſtis hujus inſtituti familiam multiplicem brevi multiplicatam agnovit. Romana Aula, univerſaque Italia obſtupefacta legibus arctè adeò vivendi devinciri homines à modico laico fraterculo, nonniſi Divinam providentiam in eo admirata eſt, atque benè perſpecta viri ſanctitate, Gregorius IX. ſuperno adjutorio tam ſanctum iuvit opus, edito Apoſtolico Diplo-

Diplomate anno 1373. plures Ordinis hujuſcemodi reformationi ſubegit, & de theſauris Divinæ largitatis maximis indulgentiis ditavit quoſcumque Paulus ea obſervantiæ flamma incaleſcentes ſuo ſub regimine haberet. Dei, Ordiniſque tam bellè zelanti honorem adfuit Ordinis Generalis Miniſter, delegata eidem omnimoda in ejuſmodi reformatos de obſervantia facultate, cujus in arctiſſima cuſtodia pervigil dum eſſet, & in labenti ætate arctiſſimæ auſteritatis obſervantiſſimus Fulginii in S. Franciſci Conventu ærumnarum ſeriem clauſit in gaudium Domini Dei ſui exceptus die 17. Septembris anno 1391. ætatis octuageſimo primo, baptiſmalis innocentiæ cultor aſſiduus, quam illibatè ſervavit in virginitatis puriſſimo lilio. Et hæc apud Fulginates, & Romanos ſumma gloria Trinciæ, Urſineque familiæ, quod ex his prodierit tantus vir Seraphicæ virtutis inſtaurator, quæ modò Chriſtianum Orbem implet, & Cœlum Beatorum gaudiis cumulat. Claſſis hujus protinùs prodiere SS. Bernardinus Senenſis, & Joannes de Capiſtrano: qui inchoatum de obſervantia à Paulo opus, ad illud ampliandum non modicè inſudarunt. Pauli extincti corpus expoſitum, & à confluente populo ſummo in honore habitum in eo Franciſcano Templo reconditum fuit. Pauli hujus eximia cum laude plures Ordinis ſcriptores meminere, quem poſt Patriarcham Franciſcum præ cæteris fructificaſſe non dubitant aſſerere, & Beati titulo ab omnibus condecoratur. Gonzaga in Hiſt. Seraph. de eo hæc enunciat: *Beatus Paulus de Trinciis laicus Illuſtriſſimi D.Ugolini de Trinciis Fulginei Domini conſanguineus an.* 1368. *inſtituit Reformationem Obſervantiæ regularis in loco Piſtiæ, ſive Burliani in colle Florido*. De eo Wadingus, Ughell. & alii apud Jacobil. tom.2. SS. Umbriæ. Præter hiſtoriam Trinciæ familiæ. Ejus viſenda imago ſupereminet portæ Clauſtrali S. Mariæ Angelorum Aſſiſienſis agri, cum ſubjecto Stemmate Trinciæ, Urſinæque Romanæ familiæ, unde tantus prodiit Seraphici Ordinis Fulgor.

B. HIE-

Digitized by Google

B. HIERONYMUS DE APTIS
Fulginas Ordinis Prædicatorum.
ELOGIUM XXX.

Succeſſione prolis de Aptis inclytum germen
Venerare Fulginium.
HIERONYMUS *quas inde mortales tulit exuvias*
Sanctiſſimam in Aulam invexit
Prædicatorum Ordinis
Et Dominici Agni
Vellere conveſtivit aureo.
Mox in Antiſtitum exemplar
Ex ove lectiſſima Cœli
Paſtor fratrum delectus
Hanc præcellentiam virtutis probavit
Provocare æmulatione ſancta
Rigidioris obſervantiæ documenta.
Hoc illi paſtoritiæ pondus
Humeris ſuis alios in cœlum levare.
Quo tandem ipſe
Et Virtutibus & prodigiis fulgētiſſimus pervenit
Invenitque plura coëuntia ſecum ſidera
Ex germine ſuo.

V *Notæ*

Notæ.

GHERARDINO de Aptis Patritio Fulginate, & Ciſterna Monaldeſca Urbevetana, æquè nobiliſſimis progenitoribus, natus eſt Fulginii Hieronymus anno 1340. Peruſiæ Monachum induit Ordinis Prædicatorum, in literis humanioribus, diviniſque ſummè profetit, & inter præcipuos Theologos Ordinis acclamatus eſt. Contubernales Viros ſanctiſſimos ſortitus, inter quos adnumerantur gloria cœlitum illuſtres B. Nicolaus de Bevania, & B. Petrus Alberinus Nobilis Romanus, qui dum Magiſterio perfungeretur Sacri Apoſtolici Palatii, Marſicano Gregi datus eſt Pontifex. Hieronymi præcipuum ſtudium erat, quo faciliùs perdiſceret vitam Sanctorum ad imitationem Ægyptii Antonii, e celebrioribus religioſæ vitæ cultoribus, quaſi è lectiſſimis floribus, ſicuti apes inde ſuccos mellifluos hauriunt, ita ipſe ex illis perfectiores virtutes extrahere, quibus animus depaſtus ad altiora evolaret: Fulginium venit, præſeditque fratribus Conventus illius S. Dominici, in quem ad hujus Civitatis Angelicas excubias Dominicanos ſuos, quorum ex Ordine erat Fr. Paparonus è Paparona gente nobili Romana Epiſcopus dum eſſet Fulginas, introduxerat an. 1269. floruit in eo regimen cum vitæ ſanctimonia Hieronymi, refloruitque vigor diſciplinæ Regularis, quam ad primævum S. Dominici fervorem excitavit deinde è Petri Cathedra B. Pius V. mox auxere S. Dominici cultum Fulginates pro ejus inſtituti Monialibus, Cœnobiis excitatis S. Mariæ de Populo anno 1295. eoque S. Mariæ Vallis viridis anno 1300. quod deinceps in unum coaluit cum eo S. Mariæ de Populo, hiſque adjecit Hieronymus (ut aſſeritur) Moniales Tertii Ordinis Dominicani, vulgò nuncupatas de Pœnitentia. Hæc inter cum ejus ſanctimoniæ fama increbreſceret, ad celebre moderandum SS. Joannis, & Pauli Venetiarum Aſceterium vocatur; ibi

ſtatarius

ſtatarius exemplo, & præceptis ordines duxit ad æternæ vitæ paſcua arctiori ſub nexu regularis obſervantiæ: accedentium ad ſe ex ea ampliſſimi dominatus Urbe pulſatus, neminem paſſus eſt ad propria reverti, ſi non corde erga Deum ſuccenſo, culparum ſaltem rubore ſuffuſum: ex eleemoſinis ultrò elargitis cœnobium mirum in modum ampliavit. Denique ſæviſſimè dum graſſaretur peſtis, qua precibus Divinam indignationem auvertere ſatagens, qua perſonali ſervitio omnibus ſubvenire ſtudens, eodem ipſe morbo tactus, à B. Roberto de Neapoli ſui Ordinis, quem paulò antea ad hujus vitæ exitum animaverat, nec non S. Patriarcha Dominico, & Jeſu Crucifixo è Cœlo ſibi apparentibus confortatus in eo extremo agone Victor de cunctis mundi illecebris, & Dœmonum molitionibus aſcendit in Cœlum in pervigilio S. Martyris Romani Laurentii anno 1393. Defuncto parentarunt ſolemni pompa Dux, Senatus, & Proceres Venetiarum; & illicò pia Religione cœpit frequentari Corpus à Deo miraculis illuſtratum. Hiſtorici Ordinis Beatitatis titulum ei adſcribunt, in Fulginatenſi Conventu, in Cathedrali Templo, & Aula Fulginei Magiſtratus ejus imago viſitur ſplendoribus exornata, de quo Jacobill. tom. 2. Nec Hieronymus eſt unicum germen gentis nobiliſſimæ de Aptis, quod ſuper ſydera palmites ſuos extendit. Dubium ſanè an nitidiùs in ea fulſerint ſanguinis claritudo, ſeù virtutum, ſanctitatiſque ornamenta. Videſis, quæ de Aptiis hiſce hauſit decora Saxovivenſe Archiſterium in ſuis Præſulibus, & quæ nos pronunciamus in noſtro poſt Ughellum opere Italiæ Sac. cum verba facimus de Vincentio de Aptis Balneoregienſi Epiſcopo, nunc Urbevetanæ Eccleſiæ præclariſſimo Antiſtite.

Digitized by Google

B. ANTONIUS

Ordinis Minorum apud Fulginates Tertiarius Laicus.

ELOGIUM XXXI.

Ad Cœlum evolantem per ſemitas Sanctorum
Intuere Antonium
Qui
Hungaricis è ſedibus
Ceſpite fortiſſimarum Gentium avulſus
Romæ ſubſtitit Piaculari Anno
Et expiatum ſordibus
In terra Sanctorum Cœlum contemplatus
Aſſiſiati Franciſco
Vnanimus eſſe cupiens
Similem cum eo
In cinere & cilicio vitam ducit
Charitatis Stigmatis & ipſe inuſtus
Intimis non extimis ut ille.
Dei & proximi illaqueatus amore
Fulgida quæ Cæli eſſent
Laquearia quærit
Et Fulginii invenit

Vbi

Digitized by Google

Ubi
Sobolem conſpiciens gravatam pondere terræ
Flagrat ut inflammet igne cœleſti
Et æſtuantem Superni ſub Flaminis Umbra
Curat ægrotos
Innocuoſque è lactantium ubere abſtrahens
Docet innoxias inambulare Vias.
Tantarum parens Virtutum
Corporis ceù nebulæ extinctione
Spiritu refulget
Inter Seraphim Olympi.

Notæ.

HUNGARORUM animos ſibi devinxerat Bonifacius VIII. Romanus Pontifex inteſtina ejus Regni bella ſedando expeditione Apoſtolici Legati à latere Cardinalis Oſtienſis; habuitque exinde univerſam Hungariam Sedis Apoſtolicæ fiduciariam,& omnium primus Romanorum Pontificum edita conſtitutione ad Magnum in Urbe celebrandum Jubilæi annum excitavit Chriſtianum Orbem, & ſuos præcæteris ſemper tranſmiſit populorum choros Hungaria. Anno illo, qui à Chriſto nato enumerabatur 1350. affuit Antonius, ultrò arctatus acrioris pœnitentiæ modulis, qui delicium omne pro Chriſto ſupplicium in terra purpurata ſanguine Apoſtolorum Principum, & tot millium Sanctorum Martyrum exiſtimans in carne ſua, Tertiariorum amictu Laicus homo ſub clientela Sancti Aſſiſiatis Franciſci Romæ circum-

Digitized by Google

circumcingitur,& corde unus cum Franciſco eſſe cupiens,Aſſiſium venit,& ſacra Franciſci inviſens,ubi natus,ubi denatus ſit, atque charitate ex Deo erga proximum flagrare,ſarcinam pretioſam eſſe ducens,Fulginii conſedit ann.1371.in Xenodochio, quod abundè te ſtatur Fulginatenſium pietatem, cum patens ſit ſub invocatione S.Spiritus excipiendis ægrotis omnibus, & recenter natis, quorum parentum pudor, ſeu vafricies, vel quippè egeſtas à proprio repellit ubere: In eo Antonius non hoſpes è Pannoniæ finibus adveniens, ſed veluti Civis, & Patritius miſerabilium inter Fulginates, percitus Pneumatis ęſtu, conſpicitur ab omnibus, ſe convoluere ęgris, ipſe plùs unus omnibus inſervire omnibus; cœleſti ſolari eloquio; vulnera lambere lingua, ſanos reddere terris, vel ſalvos tranſmittere ad cœlos: tenellos natos, quos à mamma diſiungunt nutrices, pectore excipit ipſe ſuo, & ſalubriori paſtu lac de Cœlo potat, cœleſtibus diſciplinis inſtruens, ut creſcant in æternam ſalutem. Pontificum Clementis IV., & Nicolai itidem IV. Xenodochium hoc Romano S. Spiritus cum ſuis pertinentiis cum unitum, aſſociatumque fuerit firmiſſimis diplomatibus, infantes illos, quos Fulginii incunabula non caperent, & ipſe in Romana ſuis brachiis, humeriſque alacer tranſuehebat. Denique cumulis Virtutuu onuſtus, operibusque miris, ſumma in vitæ integritate obiit, laboribus nunquam fractus, tertio Idus Maii ann. 1398. Defuncti corpus Fulginatenſium excoluit pietas in ejus Xenodochii Eccleſia, ibique ſepelivit. Lucem aſpexit iterum anno 1608., & integrum repertum in Principis Aræ ſinu ab omnibus veneratur, omnibus lucidiſſimum exemplar indefeſſæ æmulationis circa ægrotantium curam. De eo Martyrolog. Franciſc. hæc habet: *Fulginii in Umbria B. Antonii Hungari, Tertiarii, Confeſſoris admirandæ pietatis, charitatis, & humilitatis Viri*. De eodem Albertus Ponterbienſis, Wadingus, & alii apud Jacobillum.

B. PLA-

B. PLACIDUS FULGINAS
Ordinis Ambroſiani.
ELOGIUM XXXII.

Placidè qui vivit
Vivit ſanè vita beata.
Quid eſt enim beatitudinem conſequi
Curis quàm procul à noxis
Ducere Vitam?
Hanc Fulginas PLACIDUS
Speculatus in terris aſſecutus eſt in Cælis
Et guſtandam aliis dedit.
Seque ut probaret verè placidum
Divi Placidi Romani
Inter Anachoretas & Cæli Cives
Jure feliciſſimi
Coluit nomen & omen ſuſtinuit
Et ſimul cum ipſo conquievit in Cælis.
O Ambo Beati.
Incolumes per tela perque hoſtes ire
Si placido inceſſerint animo
Docuere omnes.

Notæ

Digitized by Google

Notæ.

HONESTIS, & æque opulentis genitoribus natus eſt Placidus Fulginii anno 1338. Dum Maceratæ legum ſtudiis incumberet, binos Religioſos hoſpitio excepit ejus Ordinis, quem Apoſtolorum dixere à S.Barnaba Mediolani inſtituti, & Ambroſiani ad nemus deinceps, cum ejus inſtaurator fuerit S. Ambroſius. Hoſpites ſuos cum audiſſet de mundi contemptu, & de Divinis mirabiliter eloquentes, divenditis libris, omnique ſupellectili, & pretio in pauperes diſperſo, Lauretana Virgine primùm ſalutata, mox Romam ingreſſus in Eccleſia S. Clementis ejus inſtituti habitum aſſumpſit. Hæc interim audita per nuncium Patrui morte apud Recinetenſem Civitatem, illuc ſe contulit, & juxta demortui diſpoſitionem propè & extrà muros ejuſdem loci Cœnobium excitavit ſub invocatione utriuſque Joannis an. 1370. cui primus omnium præeſſe juſſus eſt. Plures, qui beatiorem vitam capeſſere exoptabant, Placido ſe tradidere, quos omnes ſuo exemplo ſuccis aſpergens Evangelicæ perfectionis, ſui inſtituti preclaros perfecit aſſeclas, quos inter enituere B.Philippus Civis Firmanus, qui Maceratæ Cœnobium poſuit, B. Guardatus à Viſſe Spoletinæ Diœceſis, & ipſe hujus Congregationis fundamenta jecit in oppido Viſſe, & B. Bartholomæus Recinetenſis. Expreſſit in ſe Placidus eximiam Sanctorum lenitatem, orationis ſtudium, in victu parcitatem, & omnem corporis macerationem. Lauretanæ Domus cultor præcipuus ad eam confluentes peregrinos profuſa caritate omnes excipiebat. Præcipuum Patronum excoluit S. Placidum, ad cujus gloriam & ipſe tranſiit die 5. Junii ann.1398. Corpus excepit Recinatenſis Cathedralis, ſed inde ab Angelis effoſſum,ad ſui Cœnobii Eccleſiam delatum fuit, ubi conquieſcit ſub ara majori, à longiori ejus loci incolatu Recinatenſis dicitur, præſumiturque ab accolis Recinatenſis Civis.

Digitized by Google

Givis. De eo Ferrarius in Catal. SS. Ital. die 5. Junii. Et apud Jacobillum, in eo corrigendus, quòd hujus obitus diem illum eſſe ſcribat, qui plurimis tranſactis ſeculis adſcribitur apud Meſſanenſes S. Abbati, & Martyri Placido, cujus eſt ſolemnis quinta Octobris.

Quinque Sanctimoniales Angeli monitu Fulginium veniunt, & novum S. Luciæ Sacrarum Virginum recluſorium excitant.

ELOGIUM XXXIII.

In ſummo fulges fulgore Fulginium
Evangelica rutilante lampade.
Ad Sponſi vocem
Quinque Viragines
Unde coronentur uti prudentes Virgines
Sinu dum excipis tuo
Quinque adimis aſtra polo.
Tuas Virgineas ut lampades
Inſeras Aſtris
Claudis inter lumina limina ſacra
Ubi metuenda inferis Virginum acies
Obſtringit Lucia Virgo Magna

Bella quæ Blanda quæ truculenta ſuperans
Exuperare ſexum fœminas docuit
Et oppignorare dexteras
Virginum Sponſo.

Notæ.

VIRGINIS titulo dignæ ſunt fœminæ illæ, quæ validis animi viribus præditæ fortia facinora faciunt in pugna virtutis, adeoque cum prodierint quinque mulieres Vidua una, cæteræ Virgines, & omnes ſolemni vinculo adſtrictæ Chriſto ſponſo in ſanctimonialium contubernio ad magna perpetranda Viraginum, & Heroidum nomen ſibi uſurpare dignè poſſunt, & quinque Virginibus Jeſu voce commendatis meritò aſſimilari. Harum nomina genus, & res præclarè geſtas commemoramus. Andegavenſibus Neapolitanum Regnum non ſine cotendentium, & factioſorum jurgiis detinentibus, deterrimis affligebatur Aprutium procerum, incolarumque diſcordiis, & ad arma hinc ſæpius congrediebantur, perque familias viritim odia, & vexationes percreſcebant, adeout nec ipſis Deo ſacris perſonis quietis locus eſſet; & conſpirante dæmone iniqua ablegatione procul abire ſunt juſſæ nobiliſſimi generis mulieres Alexandrina è Dominis de Letto, & de Turre in Aprutio, Margarita ejus conſobrina, Gemma præfatæ Margaritæ genitrix, Clara Gemmæ filia, & Liſa, ſeu Rita Alexandrinæ ſoror germana: Alexandrina, & Margarita à teneris annis piè educatæ in patriæ Cœnobio Monachale velamentum ſumpſerunt apud S. Claram ad normam ſecundi inſtituti, cæteræ in Sulmonenſi Civitate inter Moniales cooptatæ ſunt Auguſtiniani Ordinis. Omnes igitur exilio damnatæ una cum eorum conſobrinò

æque

Digitized by Google

æque optimo viro Fr. Benedicto Cerio Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, dum una ſecum omnes conſulerent: ubinam reliquum ærumnoſæ vitæ inter tot adverſa abſumerent? Ferocientem comprimere dæmonem, nobis non eſt metuendum, inclamavit Alexandrina, & Dux omnibus ſe exhibens implorato Divino auxilio, ea fide, qua quiſque bellicoſiſſimo animo contra hoſtes, & tenebrarum poteſtates procedit, ubi intellexerit, ſi Deus pro nobis quis contra vos, protinus Angelum bonum de Cœlo audivit; Fulginii ſibi, ſuiſque à Deo propitio paratum ſalutis locum, & ad cœli delicias thalamum. Pervenere Fulginium, ſeſe coram Epiſcopo procumbentes ſuum aperuere fundandi cœnobium incenſum deſiderium, benignè auditæ, & per humaniter à ſacrorum Antiſtite exceptæ ſunt, qui ſuper ea re profuſis orationibus Divinum cum exploraſſet conſilium, ipſo agente Epiſcopo, & ſummopere opibus ſuis juvante Conrado Trincio Fulginii Domino, celebre S. Luciæ Virginis, & Martyris cœnobium extulit muros anno 1425. ad Virginum firmam cuſtodiam ſub Regulari Obſervantia Franciſcanæ temperationis Regulæ clariſſarum arctioris. Incoluerant olim illud idem Monaſterium ex Divi Auguſtini moderamine Moniales, ex quarum receſſu ad illud S. Mariæ de Cruce, hoc S. Luciæ obliteratum, penè collapſum in ruinis jacebat. Triennio poſt ab exordio clariſſarum in eo S. Luciæ cœnobio, Martinus V. quo meliùs inſtruerentur in iis, quæ Franciſcani Ordinis ſunt, præceptores ejuſdem perpetuò Fratres de obſervantia inſtituit, qui in Fulginati Conventu S. Bartholomæi eximiæ religioſitatis fama Deo mancipati videbantur. Inſonuit per ora omnium Luciani hujus Monaſterii ſanctitas, compulitque ad ſe confluere ex primoribus Italiæ Civitatibus nobiliores Virgines, quæ deinceps ſublimiorem Monachalis prefectionis gradum attingere cupientes primam arctiſſimæ obſervantiæ regulam amplexatæ ſunt anno 1476. cum antea ſecundam profiterentur, & ejuſdem initia cæteris per Italiam dediſſent. Sed, &

 Ale-

Alexandrina egregii hujus operis auctrix præcipua laudabili ſanctitate cum plurimùm profeciſſet, diuque Monialibus hiſce in Abbatiſſæ gradu præfuiſſet, evolavit ad ſuperos die 3. Aprilis ann.1458. plura perpetraſſe miracula fertur, quæ inter illud eſt aquæ ſalientis ſicco in loco dum excavaretur pro Monaſterii uſibus puteus, & decreſcentis ad menſuram, quam ipſa ei preſcripſerat.Martyrol.Franciſcanum titulo Beatæ Alexandrinam decorat. De eadem Wadingus, aliique apud Jacobillum. Monaſterii hujus fundationem lunculenter deſcribit Gonzaga in Hiſtoria Seraphica, de eadem meminit Ughell. in Fulgin. ſerie nu.38. Beatò pariter exitu conquieverunt Gemma nobilis Matrona cum ex ſe natis Margarita, & Clara, atque Liſa, ſeu Rita ejus nepte, & Alexandrinæ ſorore germana, de quibus Jacobillus in ſuis de Sanctis Umbriæ tomis. Sed, & Fr. Benedictus Cerius Gemmæ nepos peregrinationis, & paſſionum ſocius ex Ord. S. Auguſtini, extructo ex Divino monitu Peruſiæ Conventu S. Mariæ Novellæ Congregationis Peruſiæ, alioque conſecuto S. Nicolai Fulginii, in eo obiit ſanctiſſimè. Hæc fauſtè contigere Jacobo Berti ex Elmia prænobili Fulginate familia è Comitibus S. Chriſtinæ digniſſimo Epiſcopo, qui hæroicis cum impleſſet exemplis ſuum gregem, inter optimos commemorandus in memoria æterna, terris ereptus eſt ann.1437.

B. AN-

B. ANGELINA

In Connubio Virgo, & apud Fulginates Sanctimonialium Ord. Min. Mater præcipua.

ELOGIUM XXXIV.

Nullus magè dignus Arce Olympi
Quàm qui candida fert Lilia
Puritatis Angelicæ
Cujus hoc ſignum clarius eſt
Quod Angeli in Cælo
Neque nubunt neque nubentur.
Quid ſi homines nubant.
Et impollutum ſervent Virgineum Decus?
Caſta placet ſuperis, ut prophanus loquitur vates
En ſcio
Majorem ſubituros Angelis gloriam.
In corpore quippe Virgineam ducere vitam
Pluſquam Angelicum eſt.
Cæli igitur Viraginem vertice dignam
ANGELINAM *intuemini*
Magna abjecta ſeculi pompa
Chriſti nuditate præclaram

Et

Et in ſeculi connubio
Angelica Virginitate præfulgidam.
Quid mirum ſi Angeli nomen elucet in fœmina
Quæ & in gloria connubii
Angelicam puritatem præfert?
Fulgoribus hæc tuis cerno inſerta Lilia
Fulginium
Virgo & Parens
Peperit Angelina ſino in tuo
Latè Diffuſos per Orbem Virginum choros
Tertiariarum Seraphicæ religionis Auctrix.
An non miretur quiſque
Săctas leges conjugii illibatæ ſervaſſe fœdera pacis
Cum perpetuo Virginitatis candore
Et cæleſtis Sponſi multiplici fœtu implere munia
JESU VIRGINUM VIRGINI
Conſociando Virgines?
O digna Deo fœmina
Et in ſuperis par Angelis
Quorum nominis omen habes
Omni labe immunis.

Notæ

Digitized by Google

Notæ.

JACOBUS è nobiliſſima progenie de Montemarte Comitum Montis Martis Corbaræ,Triginge,Titignarti,Vatuni, aliorumque Oppidorum, ex Annæ Angiolellæ Comitum Marciani, Montis Jovis, &c. in ſui prolem ſuſcepit Angelinam, quæ vix duodennis, tertio poſt anno à parentibus nuptui tradita Joanni de Termis Comiti Civitellæ in Aprutinis, cum quo pari conſenſu Virginitatem ſervavit. Viro ſublato S. Franciſci Tertiariæ habitum ſuſcepit, Neapoli ſubſiſtens, & nefarie à perditis hominibus accuſata apud Ladislaum Regem, dum is una ſecum mente revoluit ignes, quibus vivam comburat Angelinam, hæc Regi ſe coram præſentat, ardentes prunas illibato in ſinu deferens, Ladislaum interpellans, ut opere compleat, quod mente recogitat: hinc obſtupefactus Rex Angelinam veneratur, quæ diſperſis opibus in pauperes, inter cætera miracula, quæ Deus per ipſam operatus eſt, Neapoli mortuum vitæ remiſit. Facultate impetrata Urbani VI.quam deinde ratam habuit Bonifatius IX. Tertiariarum Ordinem in Clauſtris inſtituit, obſtrinxitque ſubſtantialibus Regularium Votis, cui exordium fecit Fulginii in Monaſterio S. Annæ, cujus odor ſanctitatis cum ubique ſpargeretur, evenit, ut Romæ, Florentiæ, Viterbii, plurimiſque aliis in locis ipſa Angelina alia Monaſteria auſpicatiſſimè fundaverit, quorum omnium regimen ſuſtinuit. Denique infirmitate correpta, & in exceſſu mentis rapta in Deum,ipſi conjuncta eſt in Cœlis die 14.Julii 1435. Corpus Fulginii ſepelitur, & venerationi patet clarum miraculis in Eccleſia S. Franciſci: de ea Martyr. Franc. Gonzaga, Valerius, Marianus, Wandingus,Ughel. & alii apud Jacobil.

B. MAR-

Digitized by Google

B. MARGARITA VIRGO
Fulginas, & Abbatiſſa ex Ord. Min.
ELOGIUM XXXV.

Ecquis neget
Sub Solis radiis
Oſtream converti
Pretioſam in Margaritam?
Tale dat decus fulgor Fulginia tuus
Ut in ſinu quæ generata eſt
Gemmula tuo
Non ſecus exornas
Ac ſub Sole conchæ rubeſcit humor.
Te nata invaluit Margarita
Quæ molli excuſſa aura
Fœminei ſexus
Decorat inclyta Virgo virile pectus.
Sic Chriſtum allicit
Ut eo illuſtrante
Vitiatus ſeculi humor
Margarito fulgenti aſſimiletur
Et majorem inſuper fulgorem
Gemmæ ardentis præferat

Quas

Digitized by Google

Quas claudunt adaperta cunctis
Dare Conchylia gemmas.

Notæ.

MULTA gloria, & religioſæ virtutis incremento præfulſit Margarita modicis nata parentibus apud Fulginates anno 1378. Hanc ſibi puellari in ætate conjunxit alumnam Beata Angelina in S. Annæ Virginum ſepimento, quam paulò antea excitaverat, ut in Angelina enarravimus. Cum in eo Monaſterio ſummis Seraphicæ diſciplinæ meritis ad Cœlum contendere ſanctimoniales per Italiam pervulgatum eſſet, mulierum agmina undique confluebant, ut ibi ad eam religioſæ vitæ rationem admitterentur. Sed ubi Angelina brevi epilogo perſonarum multiplicem virtutem Evangelicæ perfectionis, viginti videlicet tantùm Monialium numero commenſurabatur; ut poſtulantium votis ſatis eſſet, aliud excitavit regulare Domicilium ſub invocatione Virginis, Martyriſque Romanæ Sanctæ Agnetis anno 1399. & præ cæteris ſuis alumnis Margaritam mente Deo vigilem agnoſcens, eidem in Abbatiſſæ Miniſterio præeſſe voluit. Mox à Deo precibus expoſtulavit, ut ſibi propitius adeſſet, & ædes numero adventantium impares, ſubſidio aliquo poſſet dilatare: evenitque ita: nam per obitum conſanguineæ cujuſdam ſuæ, ex hujus ſibi obveniente hæreditario aſſe, Monaſterii ſpatia ampliavit anno 1402. ſummo amore, ſummoque regularis obſervantiæ jure illud deinde adminiſtravit Margarita,& à ſe nuncupatum à vulgo audivit *delle Margaritole*: cujus virtus cum maximè eluceſceret ab Angelina excitatæ Reformationis ex indulto Apoſtolico miniſtra generalis delecta eſt ad noviter excitanda Virginum

 cœno-

cœnobia, & ex eo reverſa Fulginium S. Catharinæ Civitatis Spoleti Angelinæ ad cœleſtem claritatem Sanctorum translatæ in ea generali præfectura ſuffecta eſt; & ipſa metam laborum prope attingens, à vinculis hujus vitæ placida morte ſoluta eſt die Patavino Antonio ſacra, quem uti præcipuum patronum colebat anno Domini 1442. Corpus ad beatitatis obſequia in ipſa S. Agnetis Eccleſia aſſervatur. Hanc commemorant Martyrol. Franciſc. Wadingus, Marian. in Chron. Ord. Min. & alii apud Jacobil. t. 1.

B. PAULA VIRGO

Fulginas Ordinis Minorum.

ELOGIUM XXXVI.

Agere, & pati fortia
Quod Romanum eſt
Magis majora prodere
Chriſtiadum eſſe
Docuit Romana Paula
Cæſarum Sanguine creta
Dominici Præſepis religione clarior.
Aſt nunc ambitioſa contentione
PAULA FULGINAS
Prodit in Orbem
Romanæ Heroidas æquatura Virtutes

Vel

Vel fermè puella
Herculeo auſu
Litem fecit illecebris omnibus
Et Victrix
Carnis aſtum
Dæmonis aſtum
Mundi faſtum
Subegit
Et in Syriam
Si non cum ſeniore trajecit
Evangelicum ſuperum in Orbem
Tranſmigravit
Cineritio circumvoluta amictu
Triplici colligata funiculo
Apoſtolicæ perfectionis
Religioſæ vitæ ad ſtuporem
Curſum confecit
Fortiter gradiens
Innixa ſuper dilectum ſuum
Illi amoris Cruce affixa incumbens
In deliciis habuit
Conſortem omnium eſſe paſſionum.
Et quod viriliter geſſit
Apoſtolus Paulus
Nec ſibi defuit
Stimulus carnis Sathan

Digitized by Google

Pro meriti materia habere
Et gloria triumphi
Inſidiantis caput conterere:
Quid mirum!
Si nullis deterrita hoſtilis nequitiæ jaculis
Per medios hoſtium cuneos
Imperterrita ad ſidera evolavit?
Vigor illi ad ardua fuit
Panis de cœlo præſtitus
Qui cibus eſt fortium.
Tanto munita munimine
Aſpera quæque ſuperans
Suo ſibi ſpiritu
Reſpirare JESU *Spiritum agnovit.*

Notæ.

PAULAM Fulginii nobiliter natam vitæ contemplatricis cupido adoleſcentulam adeo vehementer affecit, ut aufugiens è deliciis domus paternæ, inter Tertiarias Ordinis Minoritani in reclusorio S.Annæ,quam citiſſimè adſcribi voluerit, quod evenit anno 1419.Cumque Beata Angelina ad formam facultatis Pontificiæ (ut ſupra enarravimus) Aquilæ in veſtinis ſanctimonialium cœnobium fundaſſet ſub invocatione S. Eliſabeth, regulam, quam obſervandam propoſuerat, rigidiori exemplo cæteris demonſtraret, Paulam unà cum Antonia Florentina Virgine alumna

mna ſua eum in locum tranſmiſit. Graviter cum ambæ inſtitiſſent cæptæ regulari diſciplinæ annos quatuordecim, primævum S.Franciſci inſtitutum ad unguem obſervare cupientes, eo imbutis S.Eliſabeth Monialibus, cooperante S.Joanne de Capiſtrano, & indulgente Nicolao V. anno 1447. ſolemni ritu deductis è Tertiariarum Eliſabethiano Cœnobio quatuordecim ex iiſdem tranſmigrarunt in aliud, cœteroqui obliteratum, Corporis Chriſti nuncupatum, novam hanc Seraphicam vitam à magna auſteritate exorſam,afflante Divino ſpiritu,citiſſimè centum ferè Virgines ex eadem Civitate, eodemque in Angelico ergaſtulo amplexatæ ſunt. Sed & Paula mirum ſanctitatis exemplar paupertatis dum eſſet, humilitatis, obedientiæ, atque puritatis cuſtos rigidiſſima præſidio ſuffulta orationum, jejuniorum, omniſque generis aſperitatum, ita corpus ſuum in ſervitutem redigens, adeo frequentes dæmonum tentationes circa illecebras carnis ſubivit, ut jam ferè collabantem ſe agnoſceret: ſed ex conſilio ſapientiſſimi Confeſſarii integra nocte perſeverans coram Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Altari, & jam cum lacrymis precibus effuſis Deiparam ſimul Virginem deprecata eſſet, ex Altaris thalamo viſibili forma procedens Chriſtus Deus ſolatus ancillam ſuam, omnem in ea iniquum fomitis æſtum reſtinxit, & repreſſus, profligatuſque eſt fornicarius Dæmon, qui unus, & alterius amaſii formam ſæpius mentitus ad impura Virginem Paulam ſollicitare auſus fuerat. Deinceps frequentiori Dominici corporis eſu, & gratia jugiter contemplationis cum reficeretur, à Jeſu ſponſo ſuo meruit vocari ad cœli nuptias eademmet die, qua S. Paula Romana eidem inter ſuperos aſſociata fuerat ante annos 1066.cum Paulæ Fulginatis obitus incidiſſet in diem 26. Januarii anni 1470. Romanam coluit ſemper Fulginas, ſeſeque illi obſtrinxit, ut ſibi eſſet, & ſtimulus, & ſolatium ad capeſſendam Sanctorum viam; corpus ſuſtulere Moniales, & vice aromatum lacrymis perfuderunt univerſa Civitate ad funus confluente.

Marty-

Digitized by Google

Martyrologium Franciſcanum ejus recolit nomen die 21. Decembris, qua ejuſdem ſacra lipſana elevata ſunt in decentiorem locum, Deo enunciante Viraginis hujus Sanctimoniam miraculorum gratia. Scripſere de eadem Gonzaga p.2. in Mon. Aquil. Prov. S. Bernardini, Cimarellus Chron. Min. p.4. vol.2. fol.916. Fr. Marcus Chron. Ord. Min. p.3. lib.7. c.14. Fr.Marian. Flor. l.5. c.39. Valerianus de SS. Fœminis Ord. Min. c.41. lib.2. Bzovius. Wadingus, & alii apud Jacobillum t.1. de SS. Umbriæ.

B. SCHOLASTICA VIRGO Fulginas, & Abbatiſſa Ordinis Franciſcani.

ELOGIUM XXXVII.

Cœleſtibus implexam ſtudiis
SCHOLASTICAM *contemplare Fulginium.*
Humanæ ſapientiæ moles ibi credita eſt vilis
Ubi rerũ omniũ ſumma eſt una alterave litera
A Ω
Literæ ſi quas plures habes
Ad inſaniam te ducunt.
Superfluum & Anxietas eſt
Intermedias ediſcere
Ubi Principium eſt idem & Finis
A Ω

Mens

Mens hoc ſtudio eſt galeata Sholaſtica.
In magnis humilis in imis celſa
Solum JESUM *ſcire voluit & hunc crucifixum.*
Hæc dat ſcire & frui
A Ω
Sapientibus abſcondita ſeculi
Revelata parvulis.

Notæ.

B. Scholastica ſeptennis vitam innocentiſſimam è ſeculo tranſtulit in Cœnobium S. Luciæ, ibique Monacham induit, & profeſſionem emiſit: ſeveriori ſub jugo Franciſcanam Regulam ſuſtinuit: quare ad ſummum activæ, & contemplatricis vitæ aſcendit, cum præcipuè in moderandis Monialibus Abbatiſſæ fungeretur officio, de ejus hæroicis virtutibus admirabilia enarrantur præcipuè in cuſtodia ſenſuum, in exercitiis obedientiæ, profundiſſimæ humilitatis, & arctiſſimæ paupertatis. In hac ſchola Virtutum divino plena magiſterio adeo refulſit in Fulginatium Urbe, ut demortuam anno 1489. Venerarentur omnes. Corpus ſinu ſuo refovet S. Luciæ Eccleſia. Recolitur ejus memoria ab Arturo in Martyrol. Franciſc. ad diem 30. Octob. Jacobillus eam reiicit in diem 22. Julii. Wadingus dignis effert laudibus tom. 7. ad ann. 1489. num. 7.

✳

Digitized by Google

B. ANGELINA A SPOLETO
Virgo, Monialis S. Luciæ Fulginii.

ELOGIUM XXXVIII.

Hic ubi Luciæ Luminibus
Cœlum cæcis ipſis illuceſſit
ANGELINAM *perfundit Angelico fulgore.*
Hauſtam è cœlo ſapientiam prodit
Futura prædicens
Terrena deſpicit rapta in altum
Contemplabunda ſuperum.
Quàm malè conſultò Sathan adeſt
Satellitio ſuo flagra pallorem incendia
Obiiciens
Vindicem dum conſpicit Virginum Antiſtitem
Nomen ipſum Angelinæ Numen eſt
Quod delet Inferni flammas.
En loquimini vos Manes Beati
Angelinæ precibus è Purgatorii ignibus
Ad refrigerii ſedem elati.

No-

Digitized by Google

Notæ.

B. Angelina Antonii filia à Spoleto miris à tenera ætate Divinæ gratiæ donis præventa habitum Sanctimonialium Ordinis S. Franciſci in Monaſterio S. Luciæ Fulginii humiliter expoſtulavit, & obtinuit. Sponſo Chriſto in ſummo vitæ rigore deſerviens divino afflata ſpiritu, dono prophetiæ enituit: Silentii cuſtos amantiſſima fuit, & contemplationi dedita, quæ eſſet gloria cœlitum multiplici experimento didicit. Furibundus ſæpius in eam dæmon totus prodiit, plagiſque cruentis adeo auſus eſt viſibiliter cædere, ut aliquando ſemimortuam reliquerit: Adfuere languenti cum Deipara Virgine SS. Joannes dilectus Chriſti diſcipulus, Maria Magdalena Chriſti amore ſaucia, & Clara Virgo Aſſiſienſis, à quibus cum benigno affatu conſolaretur ſanitati reſtituta eſt, & à Clara intellexit; quo capitis velamento, quo ſcapulare utendum eſſet. Annis, meritiſque onuſta in extremo vitæ agone hoc ſibi gratum vidit: Purgatorii quãplures animas, quæ illi gratias agebant, quòd ejus precibus, & meritis ſedatis, & extinctis purgatorii flammis ad Deum feliciſſimè tranſirent. Obiit die 22. Julii circa annum 1490. de qua videſis Jacobil. t.2. Arturum in Martyrol. Franciſc. Wadingum t.7. ad ann.1490. num.8.

D. IVLIVS LVCENTI ABBAS CISTERC.
VNA SALVS SERVIRE DEO

Digitized by Google

B. COECILIA PERUSINA
Sanctimonialis Virgo Fulginas Ordinis Minorum.

ELOGIUM XXXIX.

Accenſiſſimum gratiarum lumen
Deſcendens à Patre Luminum
Copioſis fulgoribus dum replet Fulginium
Grata diffuſione Peruſinam Viraginem
Pervadit
Et Seculi thalamo deſtinatam
Ad Angelicas nuptias cæleſti Sponſo
Abſumendas
Feliciter pertrahit.
Helena hæc eſt
Claro ſanguine creta
Et in ſterili conjugio divinitùs impetrata.
Non ea quæ dementavit Orbem
Sed cujus pulcritudine illectus
Cæleſtis clamat ſponſus
Auverte occulos tuos à me:
Quia ipſi avolare me fecerúnt. cant.6.
Ad nivei moris Amaſium currit

Et

Digitized by Google

Et Seraphico exæſtuans Flamine
Seraphica ſepta
Ad Fulginates ingreditur,
Vbi humanæ ſortis nomen abiiciens
Cæleſtis æmulatrix Coecilia
Oculatis & Sanctis moribus
CAECILIA *deinceps eſt.*
Ne unquam ejus obtutus ad terrena obliquentur
Cæca mundo
In S. Luciæ coenobio
Lucidiſſima coelo vivens
Ad perfectiorem Divinorum chariſmatum vitã
Sacras Deo Virgines hortatur
Et arctiori nexu Evangelicæ paupertatis
Perſtringit
Illud ſuadens
Si verè divites eſſe cupitis veras divitias amate.
Digna cordium Hecatomben facta
Æqua lance contendunt
Plura Angelicæ puritatis conditoria
Vt fidelius perfectiusque operentur
Fulginatis Cæciliæ
Spiritu reformari.
Omnium gaudia Magiſterio & vitæ exemplis
Cum ſaturaſſet
Ex his Vmbris Lucem æternam

Præſtolari omnes
Fulgentiſſimo exitu docuit.

Notæ.

SANCTI Bernardini beneficio ex ſterili conjugio Matre Leonarda ex nobilibus de Ramazzano, & Genitore Franciſco de Coppolis Peruſinis ſemel, & iterùm Senatoria dignitate Romana prȩfulgido nata eſt Helena, à parentibus unice dilecta, quia unica eorundem filiatio; perſpecta perſpicaciſſimi ingenii in literis cum pari pietate ſacris, & humanis, Græcè, & Latinè educata, admiraculum profecit, propter generis nobilitatem, & hereditarias opes, tum etiam propter corporis venuſtatem, & animi dotes, plures ex primoribus ad ejus nuptias conſpirabant: à Patre prælatus eſt omnibus Rodulphus Signorellus æquè nobilis, & opulentus inter Peruſinos, eique thalami delitiæ deſignatæ ſunt: hæc interim ſupremum diem obiit genitor. Helena paternis ſoluta obſequiis, obſequentior erga Deum, Rodulphi ſpem omnem eluſit, clàm recedens Fulginium venit, cum quibuſdam fœminis fidiſſimis concivibus ſuis, & Monaſterium ingreſſa S. Luciæ laudabili fama regularis obſervantiæ præclarum, ſub ſeveriori Franciſcani inſtituti obſervantia, abrenunciatis ſeculi pompis, & opibus, Chriſto dilecto ſuo per emiſſionem ſolemnis profeſſionis deſponſata eſt, Helenæ obliterato, & Cæciliæ in honorem Romanæ Virginis, & Martyris aſſumpto nomine. Clara adeo prodigia habebantur ejus religioſæ perfectionis apud incolas omnes Fulgineæ Civitatis, ut deſuper Monaſterii turrim, cujus intima Cœcilia inhabitabat, noctu flammigerus globus, ardens, lucens, & non comburens ſæpius viſus fuerit. Excitus fama tantæ fœminæ hujus

jus ſanctimoniæ Nicolaus V. eam Peruſium tranſmiſit comitantibus plurimis aliis Luciani aſceterii Monialibus, ut iis S. Mariæ Montis Lucis altioris virtutis iter oſtenderet, quod egregiè effecit, illud ſuo exemplo mirabiliter explanans anno 1448. ea conſumata Apoſtolica expeditione Fulginium rediit, conſeditque Abbatiſſa in priori Cœnobio, & primam S. Claræ ſeveriorem regulam ſuis Monialibus obſervandam propoſuit, & huic omnes protinùs, Deo afflante ſe ſubmiſere, quare divenditis bonis omnibus, ex quibus certos annuos redditus retrahebant, & pretio in alios Monaſterii, & Eccleſiæ uſus converſo, ad veræ paupertatis cultum, deinceps, ex iis, quæ ex eleemoſinis piorum ultrò obvenirent egeſtatem omnem ſublevare ſtatuerunt, ita tale ex Divina Providentia propoſitum approbante Sixto IV. anno 1477. exordiente, die ſiquidem 25. Januarii Doctoris Gentium Converſioni ſacra hoc novum auſterioris vitæ genus, quàm libentiſſimè agmen iſtud Deo votum mulierum iterato regulari voto ſuſcepit. Superiori anno idem Pontifex Monaſterii ſuavi odore perfuſus illud inviſit, & Apoſtolica liberalitate inibi incluſas perpetua plenaria indulgentia dotavit; ſi præmiſſa peccatorum diſcuſſione, & Euchariſtici panis eſu in interiori Oratorio Dominicam orationem cum Salutatione ad Deiparam Angelica quinquies recitaverint. Tanti S. Luciæ Fulginii inſtituti exemplo Moniales S. Claræ Civitatis Urbini ad hanc perfectiorem vitæ frugem transmigrare exoptantes precibus interpoſitis Urbinatium Ducis, iteratò laborioſum opus ſuſtinuit Cœcilia, docuitque Urbinates Clariſſas ad normam ſui inſtituti impenſiùs cœleſti Sponſo deſervire, rediitque deinde ad propria, complures de ejuſmodi vitæ ratione, quas coram nequibat, ſcripto docuit. Speciali charitatis vinculo literis ſe obſtrinxit Beatæ Euſtochio Sanctimonialium Montis Virginis Civitatis Meſſanæ in Sicilia Abbatiſſæ; hæc Euſtochii (nunc Beatitatis claritudine inter Cœlites præfulgentis) Romanæ Matronæ thalamo nata, quæ deinde ſublato viro nobili Ca-

tanenſi

Digitized by Google

tanenſi tertiariis S. Claræ nomen dedit, quas inter omni virtute profecit; ſed ex ea Euſtochium progenita, vana cum præcelleret adoleſcentulas alias corporis pulchritudine, oderat ipſa doloſam hanc ſpeciem, quam in animæ perniciem aliç adamare conſueſcunt: quare hanc deturpare ſtudiis omnibus intenta, jejuniis, variiſque corporis macerationibus, depulit omnem venuſtatem, veluti callidi hoſtis eſcam ad inſanos decipiendos mortales. Et quod concupierat amplexa Chriſti connubium in ejus puritate deceſſit Meſſanæ die 22. Januarii 1486. Cœcilia verò altera die ineuntis anni 1500 ex humanis ſanctiſſimè deceſſit, miraculis, gratiiſque cœleſtibus pluribus cumulata. De ea Martyrol. Franciſc. ſub titulo Beatæ, ejuſque viſuntur imagines ſplendoribus exornatæ, Codex M. S. Monaſt. S. Luciæ. Marcus Uliſponen. in Chron. Ord. Min. p. 3. l. 7. c. 9. Toſſignanus in Catal. BB. Ord. & lib. 1. hiſt. Seraph. Valerianus lib. 2. de SS. fœminis Ord. Min. Cimarellus, & alii apud Jacobil. Corpus ſeptennium poſt effoſſum incorruptum elatum eſt. Genitrix ejus pari ſanctitatis exitu inter Moniales, pauperibus opibus diſtributis, ſub nomine Sororis Leonardæ vitam clauſit hanc mortalem.

Venerabilis Soror

LUCIA VIRGO FULGINAS

Monialis, & Abbatiſſa Ordinis Minorum.

ELOGIUM XL.

Tu major te ſemper ipſa videris
Fulginea Civitas

Lucis

Digitized by Google

Lucis cum laude dum ubique triumphas
Digna diffundens tua lumina mundo
Tuis niteſcit
Auguſta Peruſia clara fulgoribus
Ad ſplendorem dum habet
FULGINEAM LUCIAM
Quæ veluti Lucina de Cœlo
Seraphicis Virginum choreis
Tota effunditur.

Notæ.

LUCIAM Fulginii honeſto progenitam parente adoleſcentulàm excepit inter Moniales ſuas S. Luciæ Monaſterium, ubi cum ad miraculum proficeret virtutibus in omnibus religioſæ obſervantiæ, delecta eſt à B. Cœcilia pro reformando cœnobio Clariſſarum Montis Lucis Peruſiæ, ut in Beata Cœcilia proximè enarravimus, & in eo opere cum præ cæteris honorem zelare Divini Sponſi videretur univerſo eo Virgìnum cætu acclamante novæ reformationi Abbatiſſa præſedit annis viginti ſex. Dedita nocturnis, & diurnis piæ religionis exercitiis, & in omnia miſericordiæ opera profuſiſſima, plurimis dignata cœlitùs gratiis conſepulta eſt cum Chriſto die 9. Decembris anno ſalutari 1499. quinquageſimo primo incolatus Peruſini cœnobii. Hanc titulo Beatæ celebrat Franciſcana Ephemeris. Eodem anno ordinante Alexandro VI. duodecim ſanctimoniales Fulginatis cœnobii S. Luciæ adhuc in eo vitam agente B. Cœcilia traductæ ſunt ad informandum Sanctimoniales S. Mariæ de Colle-

Collemata prope, & extra muros Peruſinos noviter inſtitutas opera Franciſcæ Longæ Peruſinæ Tertiariæ. De his Wadingus ad ann.1499. & alii apud Jacobil. tom.3. fol.159.

B. FRANCISCUS A BRIXIA
Confeſſor Ordinis Minorum apud Fulginium.
ELOGIUM XLI.

Brixienſis FRANCISCI
Clareſcunt geſta Fulginii
Hic Seraphici Protoparentis
Nomen tenuit inſtitutum & mores.
Adeo pauperum amans ut in annona ſterilitate
Ad confluentium alimoniam
Edulium omne ſibi ſuiſque ſubtraheret
Sortitus inde primogenita Cœli
Divinam dum habuit providentiam
Sui ſuorumque ſolicitam
Religioſam ad menſam immiſſis
Piſtoribus ſuperni Patris familias.
Nec minori prodigio
Saluti animarum proſpiciens
Factus ſuimet hoſtis

Donec

Digitized by Google

Donec flagris jejuniis & lacrymis
Impiorum duritiem emolliret
Et precibus pretium
Feciſſe pœnitentibus agnoſceret.
Ita confoſſus telo Divinæ charitatis
Lætus ad gaudia cælorum properavit.

Notæ.

BEATUS Franciſcus Brixiæ natus, ſuos natales cœleſti ſorte innovavit profeſſus inſtitutum Seraphici Franciſci, cujus tam bellè præclarè geſta æmulatus eſt, ut in eo S. Patris imago refloreſcere viſa fuerit. In Umbriam miſſus, & fratrum contubernio SS. Annuntiatæ Ceſárum præſidere juſſus. Paupertatis, puritatiſque rigidiſſimus cultor, & in animarum ſalute procuranda ſollicitus, ſe quibuſque arduis pœnis pro iiſdem in holochauſtum ſe Deo offerebat. Hinc ad ipſum confluere conterminæ gentes, ſive ad probrorum excuſſionem in ſacramentali pœnitentia, ſive ad animi, corporiſque languores curandos. Interim in ſumma frumenti penuria unde non eſſet ventris eſuriem paſcere, ad ſe recurrentes ut nutriat, ſuis alumnis, cibos quos paraverat alendis, in alienos diſpergit, ſed adeſt Deus, & ipſe induit curas Franciſci, quas ejus famulus implicuerat in pauperes præſtita de cœlo annona fratrum menſæ. Talis ac tantus diſpenſator fidelis Fulginium vocatur, & moderandis ſacris Franciſcani Ordinis Virginibus cœnobii S. Luciæ adhibetur, quarum cum ſpiritum probaret ad arctiora quæque obſequia Seraphici inſtituti, &ipſum conſulerent Fulginates pro mercimoniis æternæ vitæ, ſupremam diem obiit 26. Auguſti, aliis 4. Junii an. 1523. tumulatus in ſui Ordinis S. Bartholo-

Digitized by Google

mæi Eccleſia prope, & extra Fulginii muros. De eo Martyrol. Franciſc. ſub tit. Beati. Wadingus tom.5. ad ann.1466. & tom.8. ad ann.1523. Gonzaga, & alii apud Jacobill. t.2. SS. Umbriæ.

Dignus Dei Famulus

AUGUSTINUS FULGINAS

Ordinis Minorum.

ELOGIUM XLII.

Audit è Cœlo quàm mala ſint tempora
FULGINAS AUGUSTINUS
Et in ſquallore & luctu
Quantas ſit luitura pœnas
Urbs Orbis Parens
Quove Paſtore
Ineluctabili obſidio
Diſpergendus ſit Grex
Et Domina Gentium
Barbarico eluctanda furore.
Tot inter adverſa
Una ſalus eſt
Suffocatis flagitiis
Orbem

Cum

Digitized by Google

Cum Urbis Pietas è Poſtliminio redibit
Reſpiraturum deinceps
Et Divino delectu
E Seraphico ſinu proditurам gentem
Uno prodigioſam miraculo,
Quòd
Sanctiſſimi Anteſignani Franciſci
Exemplo
Pro divitiis habitura ſit
Nihil omninò habere
Et omnium rerum humanarum
Si urgeret neceſſitas
Solum Deum rogaret
Qui illi omnia erogaret.
Sic pauper & humilis
Cum pari ſobole
FRANCISCUS
Dum mundum egreditur
Cœlum dives ingreditur.

Notæ.

EX rerum futurarum præſagiis quiſque agnoſcat; quis, & qualis fuerit Auguſtinus iſte apud Fulginates natus, & renatus in ſinu arctioris obſervantiæ Seraphici inſtituti, cognomento illuminatus dictus, quia Divino Spiri-

tu plenus plures in voces Vaticinii erupit, & inde ex eventu ſubſecuto agnovit Orbis, verum eſſe, quod antea prædixerat. Homo quippè, & nullis literarū ſtudiis excultus, & inter confratres ſuos purè laicus, ſed de Divinis myſteriis benè edoctus orationis, & meditationum præcipuè de Paſſione Domini frequentia. Spiritu enim cum aliquando ferretur in Deum in Aſſiſienſi Eccleſia S. Mariæ Angelorum, effunderetque preces pro felici, ſalubrique decurſu Pontificatus Adriani VI. brevi diſceſſurum ex hac luce mortali eum Sanctiſſimum Antiſtitem, & cujus nominis, & cujus nationis, Clementis videlicet VII. tempore, in Italiam Romamque futuram cruentam graſſationem didicit, & manifeſtavit: tanti mali cauſam agnovit iniquiſſima populi peccata, & poſt eam tempeſtatem mox ſecuturam tranquillitatem, iratum Deum ſi Urbs Orbis parens vera deliniret pœnitentia, quæ plurimùm increbreſceret, nova ſub eodem Pontifice emergente reformatione Seraphici Inſtituti: ut eventu comprobatum fuit. Matthæus Baſſus cum Divino inſtinctu ad priſtinum decorem inſtaurare vellet Franciſci inſtitutum, habitu, & forma ad literam deſcripta Religioſæ vitæ Angelo Duce coram Clemente VII. ſe præſentavit, & Divinæ Voluntatis argumentis permotus Pontifex tandem ſuo diplomate poteſtatem fecit, novum hoc ſodalitium excitandi, quod Capucinorum dicitur. Cum recens electus eſſet Clemens VII. ne videret excidium Iſrael Dei, obierat die octava Auguſti ingreſſus in gaudium Domini Dei ſui, cujus ſub nuncupatione Alluminati Viri Dei præclara mentio eſt: De his Boverius t. 1. Annal. Capuc. an. 1524. n. 40. & 41. Joſeph Silos l. 3. hiſt. Teat. P. Stephanus Pepe in vita B. Cajetani, Fr. Matthæus Salodien. in Chron. Capuc. t. 1. Bzovius ad an. 1527.

Chri-

Digitized by Google

Chriſtianæ Virtutis fœcunda Virgo

MARTHA FULGINAS ABBATISSA

Ordinis S. Benedicti.

ELOGIUM XLIII.

Et Fulginium ſuam MARTHAM *habet*
Quæ circa plurima
Nec turbatur nec increpatur à Domino
Jucunda ſolicitudine intenta
Parare Domino Plebem perfectam
Cujus optima pars eſt
Quæ in Maria commendatur.
Tunc enim maximè operoſa
Cum magis otiatur
In contemplatricis vitæ modulis
Æterno ſiſtens Virginum ſponſo
Virgines ſuas.
Terreſtri namque Paradiſo
Lucidiores ædium formas
In Umbris poſuit.
Ubi

Nullus

Digitized by Google

Nullus aſtus & procul ab omni aſtu
Tartarei Aſpidis
Tranquillum haberent delicium
Donec
Majùs & Meliùs
Cum Dei Filio
Inextricabile conjugium
Aſſequantur in cœlis.

Notæ.

MARTHA Fulginii ſortita claros natales Virginitatis firmiſſimum propoſitum, ut perpetuò ſervaret, Caſinenſium Virginum cœnobium Ordinis S. Benedicti ingreſſa eſt, ibique magna cum regulari obſervantia vivens, ejus virtutum ſparſa latè fama, plurimos compulit ad eam vocandam, ſive pro inſtauranda Monaſtica diſciplina, ſive pro noviter excitandis ad ejus vivendi formam ſanctimonialium cœnobiis in Umbriæ finibus. Fabius Vigil Spoletanus Epiſcopus, qui Martham optimè noverat, cum antea Fulginatium dum Pontifex eſſet, in Oppido Ceſárum ſuæ Diœceſis ad informandum Monaſterium recens extructum ſub titulo S. Agnetis Virginis, & Martyris, Martham Fulginatem præſtò eſſe voluit, quæ jam antea eademmet in eodem loco alterum erudierat juxta ejuſdem inſtituti Deo acceptiſſimum Canonem. S. Agnetis Monaſterii regimen ſuſcepit Martha, diuque Abbatiſſæ onus cum ſuſtinuiſſet, eodem, quo ipſa ſpiritu erga dilectum Jeſum fervens erat, ſuas Moniales ducens ad æternæ vitæ paſcua, ſervata vitæ innocentia,

centia, & ſanctimoniæ fama apud omnes, obdormivit in Domino anno 1559. de ea Monumenta Monaſterii S. Agnetis Ceſarum, & Jacobil.t.3.pag.322.

Inſtitutio Oratorii

BONI JESU

Congregationis S. Philippi Nerii
Per Ven. P. D. Jo. Baptiſtam
Vitellium nobilem
Fulginatem.

ELOGIUM XLIV.

Cum alluſione ad Fulginii dulcedinem
Ex Sacchari dulciariis, quæ ibi efformantur:
Ita ut in vulgi facetiis vocetur: Foligno
delle ſtrade inzuccherate &c.

Dulcia quæris Fulginium?
Dulcia ſiqua tenes
Non eliciunt animæ gaudia.
Sacchano dulci tuo
Paſcuntur pecudes eodemque rore cicadæ.
Corde paſcitur Deus

Eli-

Digitized by Google

Eliciuſque ſummus
Corde paſtus
Ad amplexus & oſcula allicit
Quæ exuperant mellis pocula.
Si verè dulce quæris
Quære
Quæ invaſit corda dulcedinem.
O ſuavis quàm tibi dat linguæ ſonitus
Dulce nomen ſuper omne nomen
J E S V
JESU *hoc nomen unum*
Omnem hoc ſenſum implet
Et mentis vigorem
Dulceſcit mirabiliter
Super omne bonum.
Scire ſi vis
Ineffabile eſt
Quia
Filius Altiſſimi
Sine Matre
Virginis filius
Sine Patre
Deus & Homo
Ex utroque parente natus
Æternus & in tempore
Summus & imus

Ema-

Digitized by Google

Emanuel nobiſcum Deus
Mundi Salutare
Magni Conſilii Angelus
Rex Pacificus
Sanctus Sanctorum mirabilis
Paſtor bonus
Summè bonus
Salus mea Deus
Summi Patris cor
Super mel dulcis & omnia
Spes pœnitentium
Pius petentibus
Bonus quærentibus
Conſolator optimus
Lumen Mentium
Sole ſerenior
Regnum Beatitudinis
Orbis Lætitia
A Bethlehem Panis vivificus
Nazaret de luto fæcis flos cœlicus
Jeruſalem in Pace imperans
Tribu Juda fortiter & ſuaviter diſponens
Virga Jeſſe fructum datura nominis
Stirpe David robur ſedens à Dextris Dei
Melchiſedech Sacerdos & Pontifex in æternũ
Verè Sanctum & Terribile Nomen

Digitized by Google

Solatium & Honor Cœleſtis Patriæ
Gemitibus replens Infernum
Salute Mundum languidum
Mundi tollens crimina.
Aperitur tibi Fulginium
Vno in hoc nomine
J E S V
Fons omnium dulcedinum.
Hoc eſt illud nomen novum
Quod inſtillat Manna abſconditum
Et nemo novit niſi qui accipit:
Apprehende hoc tibi inditum
A clara Philippi Nerii Schola
Et ediſce à tanto cœlite
Qui
Nil aliud præter JESUM *deſiderare ſcivit*
Cujus delectatus dulcedine
Pectoris Portas aperuit
Et JESU *Nomen concupivit*
Cordi ſuo connubiali Fœdere jungi
Et pro dote
Septiformis Spiritus flammis
Minutatim Viſcera exuri
Tantam ſi vis Fulginium
Nominis concipere flammam
JESU BONI

Domi-

Digitized by Google

Domicilium ingredere
In cujus Thalamo habes Solem
Quem tot ſidera colunt
Quot Philippi irradiat ignis
Et exuperant ſacris ignibus impoſita
J E S V
Libamina nominis
Dulciora ſuper mel & favum.

Notæ.

ILLUSTRAVERANT fulgoribus ſuis Fulginium Virilis, fœmineique ſexus hæroes, & ſimul quàm plures hæroinæ jam uſque ad decimum ſextum Chriſtianæ ſalutis ſeculum, & hanc luminum exuberantiam ne probrum caliginis unquam obnubilaret, ab eo, qui in ſolis tabernaculo poſuit nomen ſuum, inoccidum ſplendorem accipere voluit de Patriæ ſuæ decore ſummè ſolicitus Venerabilis Pater Jo. Baptiſta Vitellius, qui ad ſplendores cœlitum quàm maximè proficiens in aula Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, ipſo Sancto adhuc ſuperſtite, hanc ut clarioribus ſemper multiplicaret fœtibus, ipſum Sanctum imitatus, Fulginii Oratorium ſubſtruxit ſub invocatione Boni Jesu. Hoc in loco quietis portum ſub auſpiciis tanti nominis invenire Concives ſuos invitavit: ibi coram vulgo, & promiſcuis nobilitatis Fulgineæ ſacros libros interpretabatur, & abſtruſiora myſteria Chriſtiani Catechiſmi aperiebat, peccatores ad pœnitentiam amplecti, & peccata velut monſtra proſcindere ſolicitus, noctu diuque intentus, ſacramentorum uſum

omnibus inſtillare,& ad religioſæ vitę rationem quam plures trahere ; ex his celeberrima eſt Paula à S. Urſula, cui ædificandi Virginum collegium author fuit, ut infra enunciabimus, in paſtoralis curæ onere ſuſtinendo ſui temporis Fulginatibus Epiſcopis indefeſſo in opere præſtò fuit,& adeo pius, & eruditus extitit, quàm ipſi ſacrorum Antiſtites ſperarent; Vidiſſes Fulginium ejus ſtudio more Sanctorum triumphos reportare de Sathan, vitiiſque omnibus : exceſſit, vir iſte, verè Sacerdos Dei ſanctus, Porphirio Feliciano apud Fulginates Pontificatum gerente. Qui (verba ſunt noſtri Ughelli in Fulginatium ſerte n.59.) propria primùm auctoritate uberem illam ſegetem exemplorum, quam bonus ille produxit, idoneis teſtibus ſcripto concluſit, cui Sacra Rituum Congregatio viſa eſt ſubſcripſiſſe, ita ut poſtea eandem illam optimi viri vitæ diſcuſſionem Urbanus VIII. Pontifex, iterùm ſub fide dignis teſtibus Feliciano efformandam mandaverit; quò rectiùs Beatitatis præmia eidem Vitellio à S. Sede decernerentur.

Ejus, qui Deus, & homo eſt Jesu nomen elogiolo (etſi audacter nimis) venerati ſumus ; quod equidem ſolius filii de Virgine Matre ad ſalutem gentium progeniti proprium eſt, & Salvatorem ſignificat, non hominum judicio, ſed Divino conſilio ſimul, & præcepto impoſitum eſt. Et ſique alia divinitùs imponenda ſunt demonſtrata,ad hoc unum Jesu nomen referuntur, cum omnia indicent ſalutem, quam ipſe daturus erat Angelis, & hominibus : ait enim Mellifluus Bernardus : *Qui erexit hominem lapſum, dedit Angelo ne laberetur*. ſerm.22. in cant.

Rev.

Rev. Dei Servus

PATER

JO. BAPTISTA JACOBILLUS

Nobilis Fulginas, Sacerdos Oratorii S. Philippi Nerii.

ELOGIUM XLV.

Si vis Virtutum fulgores
Largiùs mirari & imitari ſimul
Intuere
JO. BAPTISTAM JACOBILLUM FULGINATEM:
Admirandorum ſeries hunc probat
Innocentiæ Cuſtodem
Morum Magiſtrum
Literarum ſtudiis Romanis Clarum
Quæ minitarentur funera vitiis
Quæve charitatis ardore
Terricolas ad Æthera tollerent
Hæc voluit eſſe chariſmata ſua.
Hinc pietatis avidus
Blandientem mundum ſpernere
Ferocientem premere.

Pro

Digitized by Google

Pro Vitæ militia Pro Mortis tropheo
Suſtulit.
Sacris initiatus
Arctiſſimam vivendi normam
Quæ Sacerdotem decet
Amplexatus
Ad Evangelii meſſem æſtuans
Divini Verbi Præco eximius
Et egregius Scriptor
Calamo & voce
Longè latèque Regiones emenſus
Turbam peccatorum proſternit
Et innumeros populos
Sathanæ ſolutos à vinculis
Evangelica libertate recreat.
In egentes profuſis opibus
Dignitatibus & deliciis neglectis
Pro fratribus anathema
Fieri cupiens
Inter Patres Oratorii
Orator cœleſtis
Æternam Triumphi Gloriam
Adeptus eſt.

Notæ

Digitized by Google

Notæ.

E Fulginii patritia gente Jacobilla natus eſt Jo. Baptiſta anno 1600. Parentes habuit Angelum connubiali toro adſtrictum Camillæ Ghiſleriæ nobili Romanæ, cui deinceps de Franchinis cognomentum venit ex hereditario aſſe Julii Franchini ejus propinqui, Ducis olim Pontificiæ cohortis equitum levis armaturę Pontificante Gregorio XIII. Peractis ſtudiis in Romano Societatis Jeſu Atheneo, ad ſacros Ordines gradum fecit, magiſterio promotus optimi, eruditque Sacerdotis P. Pauli Mottæ Mediolanenſis, & Evangelicæ prædicationi addictus, unaque cum eo ad animarum ſalutem ad ſimul convivendum plures Sacerdotes collegit ſub invocatione Sancti Joſeph in Eccleſia S. Laurentii in Damaſo anno 1625., qui deinceps tranſiere ad ſacram ædem S.Pantaleonis regionis Montium, qui uſque nunc vigent ad omnem pietatem benè inſtructi tanti germinis digniſſimi traduces, & ubi munimentum ſibi Virtutum conſtruit amiciſſimus noſter D. Antonius Panicara laudatiſſima quaque ex parte digna Sacerdotis viri exæſtuans, plurimis ominandis feliciter piis operibus adhibitus à Summis Pontificibus Innocentio XII., & Clemente XI. Zelo flagrans Jacobillus iſte Eccleſiaſticæ diſciplinæ quà voce, quà ſcriptis cœleſti doctrina plenus omnium animas informare in viam ſalutis indefeſsè inſudavit in Urbe, & extra,plures peragrando regiones. Pontifici Urbano VIII. Purpuratis Eccleſiæ Senatoribus, & Epiſcopis plurimis acceptiſſimus, pia quadam æmulatione quiſque ad ſe tantum virum trahere contendebat, hinc Sanctimonialium cœnobiis adhibitus, & ſacrorum Antiſtitum plurimo gregi, ſi quid horridum erat in hortulis Dominicæ plantationis, ad præclaros hæroicæ virtutis fructus excitans, amænum faciebat: ea exarſit miſericordia in pauperes, ut ſuos annuos mille aureorum redditus

in ipſos

in ipſos diſperderet. Probra, improba animarum detrimenta, à perditiſſimo quolibet excutere ſatagens, Deum deprecabatur, ut in ſemet converteret juſtiſſimas ſuæ indignationis iras; ut evenit, graviſſimis ſæpius tentatus morbis, geſtiens ita peccatorum purgationem facere. Denique cum multùm profeciſſet in populo Dei, Camerini Patribus adſcriptus Oratorii S. Philippi Nerii, dum graviſſimè angeretur adverſa valetudine, horum corona ſtipatus ad gaudia tranſiit Angelorum in florenri adhuc ætate quadraginta ſex annorum die 12. Martii ſalutis anno 1646. Corpus devoto confluenti populo expoſitum primò, deinde contumulatum fuit in ipſa Congregationis Oratorii ſacra Æde, cui in lapide cænotaphium exculpſit ejus familiaris Sacerdos è Societate Jeſu. Vitam deſcripſit eruditus vir D. Theodorus de Benedictis Bevanienſis Protonot. Apoſt., & Prior Inſignis Collegiatæ S. Laurentii Iſpelli, quam in ſuo opere de SS. Umbriæ to. 3. tranſcripſit ejus gentilis D. Ludovicus Jacobillus, quem etiam & ſidera per ævum coronent Fulgineæ Patriæ.

Digna Dei Ancilla

SOROR

PAULA A S. URSULA

Virgo Fulginas.

ELOGIUM XLVI.

Nec una
Germanicarum Urbium maxima
Colonia Agrippina
Urſulanum Heroidum genus

Jactet

Digitized by Google

Jactet
Fauſtis Vrſulæ ſub auſpiciis.
Perpetuas Heroidum Colonias
Sidereis inglomerandas ædibus
Fulginas Heroina
PAULA *excitavit*
Ut ſerio jactare quiverit
Militare fœmineum agmen
Nullo cruento prælio
Floribus ominoſum virtutum
Hoſti indicere
Et vera in fortitudine
Palmam arripere.
Terreſtre cœlum eſto Fulginium
Cui par eſt cum cœlo
Lucidas in terris inſtruere
Luminum acies
Quæ magè micant
In Umbris
Qualibet ſtella rapido fixa Polo:

Notæ.

PAULA Bruffi, cui deinceps à ſuſceptæ vitæ religioſæ tyrocinio de S. Urſula cognomentum venit, piis apud Fulginates exorta parentibus anno 1571. his decennis orbata, Virginum pervigilem Patronam ſibi adoptavit in Ma-

 trem,

Digitized by Google

trem, ejuſque Diviniſſimo filio ſuam vovit virginitatem, quam perbellè excoluit magiſterio docta Venerabilis Patris Joannis Baptiſtæ Vitellii, qui auctor fuerat Fulgineis Oratorii ad normam S. Philippi Nerii ſub invocatione Boni Jesu. Charitatis officium in inſtruendis præcipuè virginibus in viam ſalutis æternæ ſanctiſſimè cum exerceret Vitellius, plurimæ tanto præceptori ſe adjunxere puellæ. Horum ingenti cum animarum fructu quæ fiebant, & ſummopere in edocendo eximia claritate rudimenta Chriſtianæ profeſſionis, cum Romam perlata eſſet fama, Cœſarem Cardinalem Baronium permovit ad manus adjutrices tanto operi porrigendas, & ſimul nihil magis ambitum, quò ſanctiùs haberetur etiam à loci Epiſcopo Antonio Bizzonio Cive Romano, cujus auctoritate, & ope Baronii inſtituta eſt in Eccleſia S. Sebaſtiani Congregatio Virginum S. Urſulæ die 29. Junii Apoſtolorum nomine fauſta anni 1600. juxta inſtitutum B. Angelæ Brixienſis jàm olim pro ſua Diœceſi approbatum, & receptum à S. Carolo Borromæo, nonnullis aliis additis conſtitutionibus pro commodiore opportunitate Fulginatis loci; quæ deinde editæ, & approbatæ ſunt ab Epiſcopo Porphirio Feliliciano anno 1626. Hùc plurimæ adventarunt illicò Fulginatium clariores fœminæ, quæ certatim mores expolire, omnes mundi affectus reprobare, & ad juſſa æterni conditoris ſeſe ipſas componere, unico tantùm obedientiæ jugo erga proprium Epiſcopum ſe ſubiicientes, ex his nonnullæ in eo aperto cœnobiolo, cæteræ in ſuis paternis ædibus commorabantur, omnibus præerat ipſa Paula, quæ ab ætatis anno duodecimo ad uſqne ſeptuageſimum ſextum quotidie Euchariſtico pabulo refecta, in ſui corporis maceratione, & omnium virtutum profectu ſanctitatis opinionem aſſecuta deceſſit die 20. Julii anno 1647. triduò corpus inſepultum devotè accurrenti populo expoſitum fuit, humi traditum in Urſulano Oratorio. Vitam deſcripſit, & Romanis Typis mandavit Doctor Michael Angelus Fulginas Protonot. Apoſt. & Oratorii Preſ-

byter

Digitized by Google

byter Venerabilis hujus à ſacris Confeſſionibus. De ea Herrera in Alphab. Auguſt. parte 2. Jacobil. &c. Eorum, quæ præclarè geſſit, extat proceſſus auctoritate ordinaria compilatus anno 1651.

Fulginio plauditur eximia erga Deum, & Cœlites pietate fulgentiſſimo.

ELOGIUM XLVII.

Nigrum hoſtile agmen
Ex orco erumpens
Ob nubilare Cœlum
Et Lucida tenebris obtegere Numina
Mox ruit ad poenas
Luminum claſſe
Ceù Fulminum turbine
Erumpente è Fulginio.
Sunt hæc
Quæ per te ſurgunt
Caſtra Dei
Templa ſuperba Divis
Septaque ſacra
Tuæ Religionis monumenta certa.
Tanto coruſcante fulgore
Creſcit tibi ſemper honos

FULGINIUM
Conſona dans nomini
Digna facta Deo.

Notæ.

VERIS impletur, fœcundaturque virtutibus gens illa, quæ benè ſentit de Deo, rectoque in Deum cultu ad ſummum bonum pergit, eique adhærere omnibus animæ ſuæ viribus ſtudet. Et profectò ſiquando nos avertit ab hac veri Dei veneratione vanus Idololatricus cultus arte Dæmonis devictos, & noſtra culpa à recto ejus tramite deviantes, ſi lumine ejus excitati revertimus ad juſtitiæ iter ſummum illud Numen recognoſcentes, & ita cognitum, qua decet veneratione excolentes, talem eſſe. Dei erga nos ordinem experiemur, quòd cum nos, & hæc noſtra gubernat, & dirigit, benè etiam providet, & decernit ex abyſſo profundiſſima, & imperſcrutabili ſapientiæ per ea media, quæ juſto ſuo judicio diſponit, nos trahēdo ad ſe, ſi trahentē ſequimur, ut ipſomet, veluti ſummo noſtro bono, ad quem tanquam ad condecens noſtrum finem pergimus in æternùm perfruamur. Et hæc eſt Religio noſtra, ex intelligentia S. Doctoris Auguſtini lib. 10. de Civit. Dei cap. 4. Ut quem amiſeramus negligentes, religentes noſtrum habeamus in vera fidei confeſſione, & cultu, exhibitione operum; cum verus Deī cultus internus, & externus ſimul accenſeatur: *Unde ſimul, & Religio dicta perhibetur.*

Fulginates ante Chriſti ſalutarem confeſſionem, & ſi non haberent veram pietatem, quæ in præfata Dei cognitione, & cultu conſiſtit, cum fervore charitatis: tamen in plurimis, quæ ſpeciem virtutis præferebant, commendabiles, videlicet a

ſummo

ſummo ſtudio, & obſervantia civilis juſtitiæ, ab humana erga omnes fide, a moderatione animi in proſperis, & conſtantia in adverſis, quæ quidem Romanis Ethnicis accomodat Divus Auguſt. lib. 2. de Civit. Dei c. 2. & ibi latiſſimè commentatur Coquæus, & in eo ſenſu ſatis audiendus Cicero allegatus ab Ughel. loc. cit. dum Fulginates valdè Religioſos fuiſſe affirmat.

Itaque obviam, & facilè ad veram pietatem cum ſe feciſſet Fulginium, citiſſimè in fulginatium animos Evangelicæ Fidei Deus optimus Maximus lumen immiſit, Apoſtoli Pauli Magiſterio, & prædicatione intercedente: factumque eſt, quod Fulginea Civitas mente, & opere Magno Chriſtianæ Religionis Imperio ſtatim ſe ſubdidit, non impar Romæ in confeſſione fidei, pro eadem falſos Deos patrios, quos à deceptis majoribus acceperant, rejiciendo; in Deum verum Chriſtum Dominum preces, grates, & laudes refundendo, ſacras ædes, aras pro temporum ratione in ejuſdem honorem erigendo: adeo ut in primoribus latiſſimæ quondam Umbriæ Civitatibus Fulginia refulſerit cœlitum fulgore, & fulgentiſſima ſemper, & hodiedum perduret, nullis unquam hæreſum maculis deturpata, nulla errorum caligine obnubilata: Clariſſima ſemper, ſive mediteris ſanctiſſimos ejus Antiſtites in ſacrorum Ritibus, & ducendis ad æternæ ſalutis paſcua ovibus, ſivè Cives in obſervando ea Chriſtianæ diſciplinæ documenta, quæ acceperunt à primis fidei præconibus, fideique obſervantiſſimis cultoribus, qui nec dubitarunt dæſevientibus tyrannis ſanguine ſuo Chriſti fidem irrigare, vel reddita Eccleſiæ pace compoſitis moribus, veluti floribus, eandem exornare, quaquaverſùm Cœlitibus conſecrando ſacella, eximii decoris extruendo templa, ſacra ſepta, ſive pro Virginum cuſtodia, ſive pro Religioſorum cœtu ad divinum opus diù noctùque præclariùs perurgendum, ſtatuendo plures ibidem domus pro peregrinis hoſpitandis, infirmis, & projectis pueris excipiendis: laicorum verò ad omnem pietatem ibi

proſtant

proſtant Confraternitates. Ex hujus Civitatis gremio tum viri, tum fœminæ prodierunt, qui ſanctimonia vitæ mirificè illuſtrarunt Eccleſiam, Eccleſiarum Pontifices, & Ordinum ſupremi Præſules, & Cœnobia, quæ capita novorum Ordinum, ſeu congregationum extitere, ſeu labantis obſervantiæ Regularis, ad eam, quæ a principio vigebat inſtaurandam: ut de his in decurſu peracti hujus opuſcoli indicavimus. Cæterùm tanto pietatis ſtudio erga Deum ſemper arſere Fulginates, ut jure, optimèque pronunciari poſſit, quòd Fulgor Fulginii undequaque coruſcans ſit in ſplendoribus Sanctorum, ſivè qui in Cœlis æterna Dei luce perfruuntur, ſivè qui in terris uſque ad diem Domini exercentur in operibus ſanctis.

ALMO SACRORUM PRINCIPI Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Julio Troilo Fulginatium Epiſcopo jejuno ſtilo, humilique elogio ad operis coronidem accedit Julius Lucentius Romanus Ciſtercienſis Ordinis Abbas, &c.

ELOGIUM XLVIII.

FULGINIO *qui condis ſacra jura* JULI
Decet hoc opus tuo ſuperbire nomine.
Micat & in æthere JULIUM *ſidus*
Et fulget inter aſtra ſicut inter ignes
Luna

Digitized by Google

Luna minores.
Multiplex Pontificum ſibi poſcit
Decus Fulginium
Æmulus tu veterum rutilas fulgore JULI.
Quis neget
Fulgineam Chriſti Plebem
Stellanti manu inſeri tua Polo?
Nec tenebroſum timet orci furorem.
TROILUS *adeſt fortior illo*
In Danaos qui Priami Regna
Sorte ſua conſiſtere fecit.
TROILE *tu noſter*
Solida Virtute Petri in Petra
Commiſſam tibi Gentem firmas in ævum
Et fauſtiori ſidere
Lætus attollis clariora ad Lumina Coeli.

FINIS.

Omne bonum deſuper deſcendens
A PATRE LUMINUM, CUI SOLI
HONOR, ET GLORIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Elogiorum Notas

INDEX.

A

ABBATUM Saxovivenſis Monaſterii ſucceſſio. pag. 76. 77.
Alani tergemini Viri Ord. Ciſtercienſis. 124. 125.
B. Alanus Saxovivenſis qualis fuerit, cum Ciſtercienſi confunditur. 125. 126.
Albanus Cardinalis. Vide Jo. Franciſcus.
B. Albertus è Comitibus Gualteriis Abbas Saxovivi. 86. 87.
Alexander Vinciolus Ord. Min. Epiſcopus Nucerinus peſtem depulit. 104.
Alviana familia Tudertina. 86.
B. Angela Tertiaria Ord. Minorum Magiſtra Theologorum dicta. 120. 121.
B. Angelina Comitum de Monte Marte, & Marciani proles in Connubio Virgo. 167. Tertiariæ ſacco induitur. ibid. Formicarii criminis accuſatur igne probat ſuam innocentiam. ibid. Tertiriarum Ordinem in clauſtris inſtituit, & alibi ſub ejus magiſterio propagatur. ibid.
B. Angelina à Spoleto Sanctimonialis Fulginas. 177.
Anna Virgo Fulginas Monaſterium S. Mariæ de Populo extruit Dominicani Ritus. 140. Florent in eo plurimæ Virgines. 141.

Antonius Panicara Sacerdos eximiæ virtutis memoratur. 199.
B. Antonius Tertiarius Ord. Min. Infirmarius ferventiſſimæ charitatis apud Fulginates. 157.
Apoſtolorum diviſio per Orbem. 13.
Apoſtolus Paulus. Vide Paulus.
De Aptis familia ferax Virorum illuſtrium. 86.154.155.
B. Arnaldus Ord. Min. auſterioris vitæ Vir. 120.
Auguſtinus Fulginas Ord. Min. illuminatus dictus mira prædicit. 188.

B

DE Barzis familia. 42
S. Baruntji, ſeu Bubulei acta. 29.
Benedictus Cerii Ord. Eremit. Aug. dira paſſus ſancte decedit Fulginii. 164.
Apud Bidinium Fratres Minoritæ Martyres. 112.
Berardus de Trinciis Epiſcopus Fulginii. 104.
S. Bonfilius Auximanus Monachus, & Abbas, inde Epiſcopus Fulginii. 90. 91. *Ejus authoritate erigitur Saxovivi Cœnobium.* 93. *Expeditionem excitat in Terram Sanctam, & cum Cruce-ſignatis abit.* 91. *Mortuus reputatur, & manet incognitus in locis Terræ Sanctæ.ibid. Romam venit, & detegitur, & ultrò cedit Cathedræ Pontificiæ, & redit ad clauſtra, moritur in ſingulanis jugis, & a S. Silveſtro Abbate Silveſtrinorum Authore excolitur.* 92.

C

CIſtercienſium Virginum Cœnobium divinitùs Fulginii erigitur. 145. *Privilegiis munitur. ibid. Aliud pro viris S. Mariæ in Campis excitatur.* 146.

Cæcilia

Cæcilia Peruſina rejectis ſeculi nuptiis Fulginii Monachalem vitam ſuſcipit Ord. Min. 180. *Expeditione ſibi facta à Nicolao V. Peruſinas Moniales Montis Lucis ad rigidiorem obſervantiam inducit. ibid. Abbatiſſæ onus, dum ſuſtinet in Luciano Cœnobio Clariſſarum arctiorem regulam excitat. ibid. Urbinum adit ad idem inſtitutum propagandum. ibid.*

S. Conſtantius Epiſcopus Peruſianus apud Fulginium Martyr decedit. 40. *mirabilis ejus Corporis Peruſium delatio. ibid.*

S. Criſpoltus Umbris Evangelium prædicat. 28. *Fulginatibus præeſt, Nucerinis, & Vectonienſibus. ibid. Preſtò eſt variis Umbriæ populis.* 29. *Nomine Deiparæ, & Apoſtoli Petri Cathedralem excitat. ibid. Martyrio coronatur Vectonienſium Patronus. ibid. Teutillam ſororem habuit. ibid. Ejus acta confuſa examinantur.* 30.

D

De Deo bone ſentire. 204.

Diomedeæ Inſulæ Adriatici Maris incolatu S. Joannis Anachoretæ conſecrantur. 45.

Diomedeæ aves vulgò Artenæ earum pinguedo ſalutaris. 46.

S. Dominici Fulginatis natales, & progreſſus. 69. *Factus Monachus patriam deſerit, & Sabinenſem ſolitudinem petit. ibid. Caſinum adit, & in Sabinam redit.* 70. *Miraculis claret, & plura extruit Monaſteria. ibid. Sorano præeſt ubi ſanctè moritur, Soræ præcipuus Tutelaris.* 71. *quantus fuerit inter Monachos.* 72. *in Patronum aſcitus apud Fulginates.* 139.

E

Ecleſiæ extabant primis fidei temporibus. 4.

Eliſea nobilis Fulginea familia. 86. 131. *Ex ea prodiere illu-*

illuſtres Viri. ibid. In his Joannes Eliſeus Minorita dictus de Alvernia vir opinione Sanctitatis celebris. 130.
Elmia Fulginea familia. 105.
B. Euſtochio Meſſaneſi Sanctimoniali dulci fœdere per literas aſſociatur B. Cæcilia Fulginas. 181.

F

S. Felicianus Epiſcopus, & præcipuus Tutelaris Fulginii qualis fuerit. 51. *Solatur. SS. Abdon, & Sennen. dum ad Martyrium trahuntur.* 52. *Ejus Apoſtolica delegatio ampliſſima. ibid. Palladis Templum Fulginii evertit, & Præcurſori Chriſti Cathedralem ſacrat. ibid. In carcere enutritur à S. Meſſalina.* 53. *Ejus Reliquiæ Metas ad Moſellam cum aliis Sanctorum deferuntur. ibid. Corpus in Cathedrali reconditur, quæ ab eo denominatur. ibid. Elegantiſſimæ ſtructure mole exornatur à Dionyſio de Roſciolis, & hæreditariis opibus augetur à Salvio Patritio Fulgin.* 53.54.
Fontis Avellanæ Congregationis exordia, & progreſſus. 102. 103.
Forum Flaminii Civitas Umbriæ. 21.
S. Franciſcus Aſſiſienſis Fulginium venit, & devotè excipitur ab Ermanno de Ermannis, & ad ſui inſtituti profeſſores excipiendos ſepimentum extruit. 108. 109. *plures ſua teſſera Fulginates ſignavit, quos Cœlum inter ſuos beatos admiſit.* 109.
B. Franciſcus Brixienſis Seraphici inſtituti rigidiſſimos cuſtos. 185. *S. Luciæ Monialibus moderandis adhibetur.* ibid.
Fulginates Cruce ſignati pro Chriſto in occiſione gladii occumbunt. 92.
Fulginatium commendatur religio. 204.205. *item à nobilitate literis, armorum uſu, & antiquitate.* ibid. 26.
Fulginium deſcribitur, & ejus tum civiles, tum ſacræ prærogativæ

Digitized by Google

gativæ indicantur. 17. *uſque ad* 27. *fidem hauſit ab ipſis Apoſtolorum temporibus.* 8. *Abundat ſacris ædificiis* 205. *ferax illuſtrium perſonarum.* 206. *ſæpius devaſtatum honorificentiùs inſtauratur.* 21. *Crevit ruinis Fori flaminii.* 22. *Deficit ad Fridericum II. Imp. ibid. Peruſinos Vindices experitur: tuetur à S. Feliciano.* *ibid.*

G

GEntium Apoſtolus Paulus. 12.

Gentium mores, qui commendabiles. 26.

H

HErmanus de Ermannis à S. Franciſco inter ſuos excipitur, & ſanctè decedit. 109. *ejus Familia celebris. ibid.*

B. Hieronymus de Aptis Ord. Præd. 104. *excitat primævi inſtituti obſervantiam: ibid. Cœnobium SS. Joannis, & Pauli Venetiarum moderandum ſuſcipit: ibid. Demortuo Dux, & Senatus juſta perſolvunt.* *ibid.*

Honufrius Abbas de Eliſeis commendatur. 134.

Hungaria, Boſnia, Bulgaria, aliæque Provinciæ Fidei Catholicæ ſubiiciuntur à Fratribus minoritis. 111. 112.

I

BEati Jacobus, & Philippus Minoritæ in odium fidei trucidantur. 143. *Eorum Corporum mirabilis delatio. ibid.*

JESU *nomen quam dulce.* 191. *Sub ejus invocatione Oratorium erigitur S. Philippi Nerii.* 194.

Illuminati Sancti quatuor quales. 40. 41.

S. Joan-

Digitized by Google

S.Joannes Fulginas Anachoreta, & Martyr. quantæ Virtutis. 44. *uſque ad* 47.

Jo. Baptiſta Jacobillus Sacerdos Oratorii S. Philippi Nerii. 199. *Sacerdotum Collegium Romæ inſtituit ſub invocatione S.Joſephi in Eccleſia S. Laurentii in Damaſo, & transfertur in ædem S. Pantaleonis Regionis montium. ibid.*

Jo. Baptiſta Vittellius Fundator Oratorii S. Philippi Nerii ſub invocatione Boni Jeſu. 202. *Ad omnem pietatem puellarum frequentia condecoratur. ibid. In eo rudimenta fidei aptiſſimè edocentur. ibid. Cæſar Cardinalis Baronius tantum opus fovet. ibid. Erigitur Virginum Congregatio S. Urſulæ. ibid.*

Jo. Franciſcus Albanus Brevium ſecretorum à ſecretis enunciatus Cardinalis in commendam accipit Abbatiam Caſæmarii Ord. Ciſtercienſis, & perſonaliter viſitat, ejus redditus, magis quàm in proprios ſuæ dignitatis, in Pauperum, & Eccleſiarum uſus diſpergit. 71. *Ad Summum Pontificatum ſub nomine Clementis XI. invitus trahitur, ejus cura in reparando Caſæmarii prægrandi templo, & eo S. Dominici Abbatis Sorani.* 72.

B.Joannes Trincius Epiſcopus Nucerinus an fuerit Monachus. 104.

Jo. Vitelleſcus ditiones Eccleſiæ extinctis tyrannis recuperat. 96.

Iſidorus Clarius celebratiſſimus Monachus, & Abbas Caſinenſis, inde Epiſcopus Fulginas. 105.

Julius Troilus modernus Epiſcopus Fulginas commendatur. 206. 207.

L

Beatus Leonardus Fulginas S. Franciſco adiicitur, & Priverni Sanctè decumbit. 110.

S. Levianus qualis fuerit. 40. *Corpus S. Conſtantii Peruſium defert.*

deſert. ibid. Impiis in ſacrum Corpus deſævientibus obcæcatis lumen reſtituit, & in fide illuminat. ibid.

S. Lodulphus è Pamphiliorum Comitum progenie Fontis Avellanæ Anachoretarum Dux. 102. *Creatur Epiſcopus Eugubinus. ibid. Ad Monachalem vitam redit, & ſucceſſores excipit ex ſuis Monachis.* 103.

B. Lucia novæ reformationis Clariſſarum Abbatiſſa. 183.

S. Luciæ Moniales Fulginates arctioris obſervantiæ. 181. *Earum inſtitutum approbat Sixtus IV. & eas inviſit, & ditat indulgentiis.* ibid.

Lucianum Fulginii Virginum cœnobium amplexatur primum Seraphicum inſtitutum, & per Italiam propagat. 163.

M

Beata Margarita excipitus à B. Angelina. 169. *ſummis floret virtutibus. ibid. Ab ea nuncupatum Fulginii Monaſterium* delle Margaritole. *ibid. Monialibus præficitur, & Miniſtra generalis deligitur ex indulto Apoſtolico.* 190.

S. Mariæ Dei Genitricis titulo prima Cathedralis Fulginii. 4.

Martana olim ſedes Epiſcopalis. 34.

Martha Fulginas Abbatiſſa ad informandum Monaſterium Oppidi Cæſarum vocatur, Verbo, & exemplo omnibus proficua. 190.

B. Martinus Minorita, & ejus effatum de his, qui occupantur in officiis charitatis erga proximum. 110.

B. Matthæus Fulginas ex Ord. Min. 111.

Maynardus primus Saxovivenſis Abbas ſanctitate, & doctrina celebris. 83. 84.

Metropolitica Dignitas pretenſa ab Umbris, & Picenis reiicitur. 32. 33.

De Monaldis, ſeu Monaldeſchis familia. 86.

Nea-

N

NEapolitanum Regnum factionibus diſciſſum humana ſimul, & Divina perturbat. 162.

S. Nicolao Myrenſi Teucria ex Diomedeis inſulis ſacra. 46.

O

ORdo Ciſtercienſis primus in Occidente in honorem Deiparæ Virginis inſtitutus. 146.

Ordo Seraphicus tum in viris, tum in fœminis Fulginatibus mirabiliter inſtauratur. 70. 93. 150. 151. 167. 173. 180.

P

PAmphilia gens è Germania in Italiam deducta. 103. *Eugubii inter præſtantiores connumeratur familias. ibid. Ex ea pondit S. Lodulphus Author Monaſterii, & Congregationis Fontis Avellanæ. ibid. Clarus Eugubina inſula: hunc pro ſuo Divo, nobili conſtructo ſacello, Pamphilii venerantur. ibid. Interrupta ſerie viros protulere inſignes, ex his Innocentius X. Pontifex Maximus.* 103.

B. Paſqualina ſeculi luxum ſuppeditat. 122.

Paula à S. Urſula qualis fuerit. 202. 203.

B. Paula Virgo Franciſcanum rigidioris obſervantiæ inſtitutum amplectitur, & Aquilam in Veſtinis defert. 173. *A fornicario dæmone vexatur ſancte obit.* ibid.

S. Paulus Apoſtolus Fulginates inſtruit in fide, & certæ genti facultatem tribuit ab iſchiadum morbis curandi. 8. *ejus Apoſtolatus qualis, & prærogativæ præcæteris Apoſtolis.* ibid.

Digitized by Google

ibid. uſque ad 15. *Paulus cur dexteram habet, & Petrus lævam.* 14.

B. Paulus Trincius Urſinus qualis fuerit. 148. 149. *mirabilis Author reformationis S. Franciſci de Obſervantia, vulgò Calepodiatorum.* 150. 151. 152.

BB. Philippus, & Jacobus Minoritæ Vitam profundunt pro fide Catholica. 143. *mirabilis horum corporum Fulginium delatio. ibidem.*

S. Petrus è Creſciorum genere qualis, & quantus fuerit. 137. *primus poſt Felicianum Fulginii Patronus.* 138. *Congregationis Presbyterorum Fulginii cum S. Dominico Abbate Protector.* 139.

S. Petrus Damiani Monachus Fontis Avellanæ. 103. 104.

Petrus de Hermannis S. Franciſco Cœnobiolum extruit.

B. Placidus Fulginas hoſpitum alloquio ad religioſam vitam incenditur. 160. *Lauretanæ Virginis cultor eximius. ibid. Ambroſianum inſtitutum amplectitur. ibid. eo authore plura extruuntur Monaſteria, & in Recinetenſe moritur. ibid. Recinetenſes ſuum eſſe Civem contendunt. ibid.*

Q

QUinque Sanctimoniales Angeli monitu Fulginium veniunt, & Lucianum Monaſterium excitant. 162. *Quæ, & quales fuerint.* 163.

R

S. Raynaldus de Trinciis. 96. *Virginitatem vovet, & Monachum induit.* 97. *Nucerinæ Eccleſiæ præficitur, & Cœnobiũ conſtruit. ibid. nunquam ſedit in Pontificia Cathedra. ibid. ejus mira geſta erga pauperes. ibid. denudata brachia in*

 ſacris

Digitized by Google

ſacris ſolemniis Angeli operiunt. ibid. Cœleſtis igneus globus ſuper ejus caput. ibid. ſedens ad menſam Sacerdotem præfert Principi: Friderico Imp. reſiſtit: ejus obitus, & præcipuus Nuceriæ Patronus. 98. unus ex ſeptem Epiſcopis, qui divinitus datam indulgentiam portiunculæ promulgarunt. 99.
Romanæ Urbis per Borbonicum exercitum excidium prædicitur. 188.
Romani Itali omnes. 20.
Romanorum cum Fulginatibus Societas. 19. 20 21.
Romanorum laus ex D. Auguſtino, & ſacris Bibliis. 16.

S

SAxovivenſe Cœnobium quale. 75. ejus exordia, progreſſus, donationes, & Abbatum ſucceſſio. 76. 77. 78. 86. 87.
B. Scholaſtica Virgo Fulginas. 175.
Servorum B. Mariæ Ordo Fulginium introductus. 118. ex eodem B. Juliana. ibidem.
Sidus in meridie obortum tres puellas Fulginium ducit. 115. harum eximia ſanctitas. ibid. Cœnobium extruicur. ibid.

T

TRemitis S. Mariæ una ex Diomedeis inſulis. 46. auri pondus in his invenitur Deipara indicante. ibid. in honorem ejuſdem abſumitur à S. Joanne Fulginate Anachoreta, & Martyre. ibid. inhabitatur à Monachis, & Caſini Abbati ſubiicitur. 47. his amotis cedit Ciſtercienſibus. ibid. excipit modò Canonicos Reg. Later. & regium ibi militare præſidium. ibidem.

Teutilla

Digitized by Google

Teutilla S.Chriſpolti Soror martyrio cum aliis mulieribus coronatur. 29.

Trinciæ familiæ Origo, & ingens poteſtas. 96. *ex eadem recenſentur præclari Viri.* 105. 106.

V

VIrginis titulo, quæ dignæ ſint. 162.

Vincentius, & Florentius Laodicea Romam veniunt. 65. *Apoſtolica Legatione perluſtrant Umbriam, Etruriam, & Sabinam. ibid. in paleſtra Monachali verſantur.* 66. *ædem ſacrat Vincentius propè Fulginium SS. Triadi, & eligitur Fulginas Epiſcopus. ibid. Florentius S.Benedicti inſtitutum amplectitur. ibid. Sacra Ædes à Vincentio erecta magnificentiùs extruitur ſub invocatione S. Silveſtri, & in rigidioris obſervantiæ Monachorum domicilium tranſit. ibid.*

X

X*Enodochium S. Spiritus apud Fulginates celebre.* 158.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google